

**OCTOBRIS. DIES DECIMASEPTIMA.
DE S. HEDWIGE, VIDUA,
DUCISSA SILESIAE, VITA**

**Auctore anonymo subæquali.
Ex editione scriptorum rerum Silesiacarum
tom. I, Gustavi Adolphi Stenzel,
collata cum ms. musæi nostri.
Hedwigis, Vidua et ducissa Trebnicii in
Silesia, Vita**

AUCTORE ANONYMO SUBÆQUALI.

PROLOGUS.

[Auctoris in scribendo consilium.] Splendoris æterni genitor lumenque indeficiens, Dominus Deus Omnipotens, qui novissime diebus istis in eodem Filio suo illuxit mundo, vitiorum tenebris obnubilatum jam sæculum novo quodam lucis suæ radio clarius illustravit, dum beatam Hedwigim veluti ardentem faculam illi exhibuit, et ut præclaram lucernam super candelabrum posuit ad lucendum pulcherrimis virtutum meritis et sanctæ conversationis exemplis, omnibus in Sanctæ Matris Ecclesiæ domo existentibus. Ipse enim Pater misericordiarum, sicut eam in vita mirabiliter sanctitatis privilegio extulit, sic ipsam quoque in morte inæstimabili decore et miraculorum prodigiis exaltavit, prout infra plenius innotescet. Nam ad Dei gloriam et ad ædificationem audientium devotionemque fidelium excitandam, ad laudem quoque ipsius Sanctæ in subsequentibus exprimuntur serius opera ejus meritoria et exercitia virtuosa atque miracula, quæ propter ejus merita operari dignatus est altissimus,

secundum quod ea diligenter examinantes diligentissime conscripserunt et conscripta fideliter summo repræsentaverunt Pontifici, hi, qui fuerunt examinatores prædictorum a Sede Apostolica deputati. Quæ scripta in Trebnicensi cænobio reservata, dum studiosius relegissem, cum illis sæpius contuli, qui dicta factaque noverant istius negotii et sic, certa materia habita probatæ veritatis, seriem stilo simplici prosequens, quanta potui diligentia simul jungere studui ea, quæ de eodem genere virtutis sive miraculi erant ibidem diffusius consignata. Præterea frater Engelbertus, ordinis Cistersiensis, in sua compilatione de hac Sancta posuit quædam notabilia, quæ addidi supradictis, et rubricis appositis, per certos titulos et capitula distinxi singula, de quibus post tractabitur, ut quod quis de qualibet hic posita materia videre voluerit, facilius valeat invenire. Agitur ergo primo de conversatione ejus in ætate puerili et tempore matrimonii et amore continentia; secundo, de humilitate ipsius; tertio, de ejus patientia; quarto, de austeritate vitæ ejus; quinto, de oratione ejus et devotione ad Deum; sexto, de operibus misericordiæ et pietate ejus ad proximum; septimo, de miraculis, quæ perpetravit in vita sua; octavo, de spiritu, quem habuit prophetiæ; nono, de transitu ejus et miraculis factis tempore mortis ipsius; decimo, de miraculis quæ contigerunt post mortem ejus; undecimo, de ejus canonizatione et miraculis tunc factis; duodecimo, de translatione ipsius et de iis, quæ facta sunt tempore translationis, miraculis et solemniis aliis.

ANNOTATA.

Ex hoc testimonio liquet exstitisse olim apud sanctimoniales Trebnicenses Acta Canonizationis S. Hedwigis, de quibus hodie, quantum novi, nullum superest vestigium.

Caput I.

De conversatione S. Hedwigis in ætate puerili et tempore matrimonii, de amore castitatis et continentiae.

[S. Hedwigis,] Hedwigis, jam in cœlis beata, in terris de stirpe generosa progrediens, nobilis quidem erat secundum corporeæ propagationis originem, morum autem elegantia fulgens et pollens honestatis decore, longe fuit nobilior animo ac in anima multo laudabiliori erat generositate præclara. Nimirum pulchritudo gratiarum et donorum sibi superinfusa divinitus magnificabant in ipsa altitudinem generis, et natalium ipsius magnificentia gratiosorem reddebat in ea sublimatam virtutibus nobilitatem atque pulchritudinem mentis.

[2] [patre Bertholdo Meraniæ duce orta,] Hæc utique magnifici principis Bertoldi, marchionis Badensis, comitis Tyrolensis atque ducis Meraniæ filia, matrem habebat nomine Agnetem, non minus secundum dignitatem sæculi nobilem, utpote de marchionum orientalium prosapia prodeuntem, filiam scilicet Orientalis marchionis et comitis de Rochlethz Dedonis, filii Conradi Mysnensis et de Landesberch ac Lusatiae marchionis. Unde ipsa filia, tamquam nobilissimæ arboris fructus egregius et electus, bonitatis suæ vigorem vigorosumque dulcedinis suæ saporem temporis diuturnitate non perdidit, immo divinis adauctum benedictionibus, posteris in Christo degustandum per consolationis gratiam conservavit. A sua namque pueritia cor gerens senile satagebat, levitates vitando, bonos assuescere mores et insolentias fugere juveniles. Fovendo quoque innocentis vitæ munditiam honestati semper et disciplinæ dabat operam diligentem. In omnibus his et aliis operibus suis præter homines, quos sibi deputatos a progenitoribus suis ad bonorum informationem morum rectores habebat,

eruditorem habuit Spiritum Sanctum, qui ab infantia ipsam timere Deum docuit et abstinere ab omni peccato, ita ut mundam servaret animam suam ab omni concupiscentia. Unde numquam cum ludentibus reprehensibiliter se miscuit neque cum iis, qui in levitatibus ambulabant, participem se præbebat. Nam in ætate puerili in claustro Kicingo sacras litteras didicit, quarum studio et tempus in juventute expendit utiliter ac in earum intellectu postmodum consolationis internæ et devotionis hausit gratiam affluenter.

[3] [plures fratres et sorores habuit,] Quatuor germanos, tres vero sorores germanas habebat, quarum una Philippo regi Franciæ nupsit, altera Andreæ regi Ungariæ in conjugio exstitit copulata, de qua nata est illa laudabilis et nunc gloriosa in cælis, beata Elyzabeth, lantgravia Thuringiæ cujus in Marcburch corpus sanctissimum requiescit. Tertia vero fuit abbatisa sanctimonialium Ordinis Sancti Benedicti in Kicingo, Franconiæ monasterio supradicto. Unus fratrum ejus, Bertoldus nomine, Aquilegiensis patriarcha exstitit, alter vero, Ekebertus scilicet, Babenbergensis episcopus fuit, reliqui duo, Otto videlicet et Henricus sæculari militiæ dediti, patri successerunt in dominio. Ipsa autem famula domini, Hedwigis, habens ætatis annos duodecim, magnifico principi Henrico, duci Slesici et Poloniæ matrimonialiter jungebatur. Hunc utique nobilem virum, ut altera Sara in timore Domini, non cum libidine consensit suscipere.

[4] [in matrimonio collocatæ,] Nam in contrahendo matrimonium illud suorum potius progenitorum quam voluntatem propriam creditur implevisse, ut ex post facto constare sufficientissime potuit, dum tam notabili se continenticiæ loro strinxit. Conjugali enim vinculo alligata studebat secundum doctrinam Apostoli honorabile connubium et thorum immaculatum in omnibus custodire,

leges ac jura matrimonii peroptime conservare. Per filiorum quippe generationem æternam salutem consequi sperans, Deo nihilominus castitatis amore placere desiderans, quantum pro tempore licuit, de mariti consensu se lege continentium vinciebat. Mox enim ut se concepisse sensisset, reverenter a viri thoro deinceps abstinuit et ab ejus copula usque post completionem puerperii separata permansit. Istius sanctæ legis et honestæ consuetudinis observantiam inchoavit a primæ prolis suæ conceptu, qua gravida fuit, cum esset annorum tredecim et tredecim hebdomadarum nec eam destitit observare usque ad tempus illud quo desiit parere. Trium namque filiorum, Bolezlai scilicet, Conradi et Henrici ac trium filiarum, Agnetis, Sophiæ et Gertrudis mater effecta, ad plenariæ statim se castitatis contulit cælibatum. Hunc quoque modum in matrimonio continendi, sancitum a sancta Matre Ecclesia, quoscumque poterat instruebat. Præcipue dominam Annam, nurum suam, hanc legem docuit observare ex speciali affectu et se ipsam dum de hoc eam instrueret, ei posuit in exemplum. O quam felices sunt matronæ matrimonialibus adhuc vinculis subjugatæ, si hujus beatæ foeminae imitari conantur exemplum, quæ non solum, ut prædicitur, concepta sobole continenter de cetero vivere studuit, verum etiam salutaribus consiliis et exhortationibus suum ad hoc generosum maritum inflexit, ut una secum voluntarie continentiam observaret singulis annis per totum Adventum et per Quadragesimam, omnibus diebus Quatuor Temporum et sextis feriis, in Sanctorum vigiliis ac solemnitatibus eorundem et in diebus dominicis. Non enim reputabat gratam esse venerationem Sanctis exhibitam nec Deo acceptum fore jejunium, quod cum oblectamentis carnalibus celebratur. Propterea ipsa cum consorte suo sæpe per mensem et quandoque per sex, aliquando vero per octo hebdomadas, quamvis tempore suo uno simul jungerentur in lecto, a carnali copula penitus abstinebat.

[5] [liberos sancte instituit,] De tam sancta ergo radice et sancti sunt rami progressi, de bona quoque arbore bonus factus est fructus. Soboles quippe, quam isti beati genere parentes, Deum colere studuit et cultum divinum pro viribus ampliavit. Nam filius eorum, dux Henricus, patri succedens in dominio, vir utique Deo devotus et bonorum patrator operum extitit. Qui, ut fidelis ac strenuus miles Christi, Tartaris pro populo Dei constanter se opposuit fusoque sanguine suo mortem suscepit anno domini millesimo ducentesimo quadragesimo primo, quinto idus Aprilis. Filia vero, domina Gerdrudis, piorum parentum imitata vestigia, non quidem in conjugali sed potius in virginali puritate intra Ordinem Cisterciensium Domino serviebat.

[6] [et tandem, consentiente marito, continentiam vovit,] Et quia felices hi conjuges devota mente taliter virtuoso castimoniae exercitio Deo docente instabant continue et sanctificabant per vitae munditiam corpora sua, ad majora tandem pervenire meruerunt divinae gratiae incrementa, ita ut uno animo parique consensu cum episcopali benedictione solemni ad continentiam se perpetuam obligarent. Spiritu namque Domini confortati circiter triginta annos a thoro tantum divisi duxerunt caelibem vitam et castitatis pulchritudine mirabiliter exornatam. In omni autem illo tempore ipsa Christi ancilla summo praecavebat conamine, ne ipsius, qui tunc jam pluribus innotuerat et frequentius declarabatur multis per satis evidentia signa, decorem pudicitiae aliquantulum obfuscari contingeret opinione sinistra in cordibus infirmorum, qui de facili quandoque sibi assumunt materiam scandali et veluti spinarum aculei lingua detractionis lacerant boni operis rosas sibi vicinius pullulantes. Mariti quapropter sic ipsa devitabat consortia atque colloquia, ut eum non adiret nec ei ullatenus loqueretur, nisi dum vellet promovere, apud ipsum opera pietatis aut negotia religiosorum sive

personarum miserabilium expedire. Nec tamen hoc faciebat alibi, quam in publico loco vel in ecclesia pluribusque, vel ad minus duabus honestis personis præsentibus et sæpe audientibus verba sua. Insuper ipsum in ægritudine positum non visitabat nisi cum domina Anna, nuru sua, et cum aliis dominabus. Ipsa quoque dum esset in Trebnicz frequenter in dormitorio cum sororibus quietis suæ commodum habuit, tum propter devotionis sedulum studium tum propter honestatis exemplar mundius confovendum, et quam in se diligenter excoluit, in aliis quoque bonam famam studiosius conservavit. Nam religiosis ad se venientibus frequenter de quieto et honesto providebat hospitio, ubi extra tumultum sæcularium commorantes, ora loquentium iniqua poterant facilius declinare.

[7] [familia sua bene disposita,] Studebat amica Christi semper in vita sua, sicut coram Deo sanctissime, sic etiam coram hominibus honestissime conversari. Honestam enim semper nitebatur habere familiam in tota curia sua et præcipue suo speciali mancipatos obsequio fœminas, camerarios aliosque officiales habuit disciplina et bonis moribus decoratos. Detractores Deo odibiles, familiares habere nolebat, sermones quoque ipsorum derogatorios, duas pariter interficientes animas, loquentis videlicet et audientis, veluti venenum ac morsum serpentinum et ut instrumentum diabolicum abhorrebat.

[8] [et monasterio Trebnicii fundato] In carne præter carnem vivere, quia magni credebat esse meriti et vitam angelicam ideo adamandam conservandamque castitatem, quam ipsa semper dilexerat a sua juventute et diligebat tenerrime, quotquot et quos poterat invitabat. Constructo denique Trebnicensi monasterio procuravit in eo multas locari fœminas et virgines sacras ad serviendum Domino pro corona ineffabilis gloriæ in cordis et corporis castitate. Inter quas suam quoque

obtulit Deo filiam, Gerdrudim prædictam, ibidem postmodum abbatissam. Plures quoque puellas nobiles genere et quasdam de genealogia simplici prodeuntes, orbatas parentibus, ac opibus destitutas, assumpsit in curam. Ex quibus alias inclusit in monasterio ad virginalem, alias vero junxit matrimonio ad conservandam pudicitium conjugalem, ut sic Christo fideliter servientes, illæ centesimum, istæ vero tricesimum fructum a Domino expectarent. Aliquas insuper secum habebat viduas, jejuniis et orationibus die noctuque vacantes pro fructu sexagesimo congregando.

[9] [omnium saluti consulit.] Sic ergo hæc Christi vernula, non solum semetipsam, verum etiam consortem suum divino mancipavit obsequio, sic pia mater prolem quam genuit, ad laudem Domini dulciter educavit, sic benigna domina familiæ suæ ministerium Deo devotum cupiebat esse et gratum, sic famula Dei morum pulchritudine et honestæ conversationis exemplis omnes homines, quantum per eam effici potuit ad melioris vitæ studium provocavit. Christi namque caritate repleta, ipsius ad amorem famulatumque cunctos pertingere affectabat. Et quoniam intus puritate conscientiæ floruit, et exterius exemplaritatis splendore clarius radiavit, fama nominis ejus crescebat quotidie et, odore bono de sanctitatis ipsius opinione procedente, omnes viciniæ replebantur. Unde non solum pro dignitate sæculi, qua pollebat, sed amplius pro virtutis merito, quo fulgebat, habebatur venerabilis, et apud religiosos et apud homines sæculares, qui ejus, aut videntes aut intelligentes opera bona, glorificabant omnium creatorem, qui talem et tam præclaram sanctitate famulam sibi elegit mundoque in solatium et juvamen ipsam exhibuit.

Cap. II.

De humilitate et patientia S. Hedwigis.

[Humilis in vestibus,] Sciens igitur Christi famula Hedwigis, Dei filium dominum Jesum ad hoc venisse in mundum, ut homines in terris non solum verbaliter, sed etiam exemplariter humilitatem doceret, se quantumcumque poterat humiliabat in omnibus, illarumque se conformabat moribus fœminarum, quæ secundum Apostolum considerant in timore sanctam conversationem suam, quarum est extrinsecus non capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui est absconditus homo cordis in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus. Et ideo a sua juventute vestimenta de scarleto et pannos superflue sumptuosos, aut valde splendidos non ferebat, licet alias, cum esset juvencula, satis bonis usa fuerit indumentis. In quibus tamen nec pompam exquirebat mundanam nec corporis cultum neque mollitiem aliquam, sed status sui solummodo decentiam attendebat. Sub cultiori quoque amictu aut in exteriori modesto sibique competenti ornatu, in quo tunc pro tempore ipsam apparere inter homines contigit, cor devotum et humile nullatenus dereliquit. In ejus ergo capite non crocea pepla, non crispata videbantur velamina, pectusque illius non monilia aurea circumposita gemmis nec digitos ejus pretiosi annuli decorabant. Omne enim signum superbiæ aut vanæ gloriæ abominabatur cum Esther, nec ferebat illud etiam tempore juventutis.

[11] [ad eandem virtutem conjugem suum inclinabat,] Postquam vero aliquantulum in diebus suis processerat et continentiæ proposito jam effectui mancipato, omnem sæculi ornatum contemnens vestes sæculares et coloratas omnino deposuit et de panno griseo se vestivit, in solemnitatibus tamen induebatur de simplici camelino. Desiderans autem in devotionis et humilitatis proficere studio post Christum, in spiritus fervore exiit extra castra et in Trebnicz cum pauca se familia transferens, ibidem juxta claustrum dominarum Cisterciensis Ordinis

serviebat Domino, marito adhuc vivente sibi in hoc, sicut et in aliis bonis actibus annuente et præbente consensum. Qui eo felicius tunc principatum Poloniæ gubernabat, quo tam sanctæ fœminæ conjugis suæ, non solum sanctitatis amator sed etiam virtutum imitator effectus, per castitatis et humilitatis ipsius semitas, quas a Christo ipsa didicerat, quantum sibi fuit possibile incedebat. Nam domino inspirante et per ipsius Sanctæ continuas exhortationes jam quasi monachus factus erat, non quidem professione vel habitu, sed religiosa devotione cordis et humili spiritu, qui in ipsius operibus relucebat. Tonsuram enim rotundam et barbam ferebat non quidem longam, sed moderata pilorum precisione decenter aptatam. Propter quod etiam usque in hodiernum diem, dum ejus in aliqua narratione fit memoria, appellatur dux Henricus Cum Barba. Hic, quamvis esset princeps magnificus, adeo tamen ex humilitate condescendebat pauperibus et personis simplicibus, ut eorum, si qua sibi aliquando deferebant munera etiam parvi valoris, et gratanter susciperet et ipsis humiliter inclinaret, plus sibi gratum fore indicans, dum pauper aut homo rusticus ei scutellam cum ovis exhibuit, quam si dives majora xenia obtulisset, cogitans intra se, ut vir pius et dicens: Quia hic pauper victum, quem sibi subtraxit nobis utique intuitu gratiæ obtulit, solatii saltem ei dona rependimus, si gratanter ipsius munera acceptamus. Ecce non dubium, quin hujus bonæ mulieris sit vir iste beatus, cui, licet ipsa esset legitime subdita, facta est in virtutibus et religiositate magistra.

[12] [habitat Trebnicii, quamvis non monialis,] Dum autem Sancta Hedwigris moraretur in claustro Trebnicensi, sororum quidem illarum induit habitum, sed Ordini se non obligavit per votum, ne ligata per professionis obedientiam, a pietatis operibus et a consolandis pauperibus ipsam existere oporteret de cetero elongatam. Filia vero ipsius, in eodem monasterio

Trebnicensi existens et Ordine, ista quidem dissimulabat interim quod pater vivebat; eo autem defuncto, instabat ei serius, ut in ipsa religione per votum obedientiæ stringeretur. Cui illa respondit: Num ignoras filia, quanti sit meriti eleemosynas elargiri? Et sic quodammodo filiæ declinavit instantiam, non quod parvum reputaret esse obedientiæ meritum, sed quia monasterii, cuius ipsa fundatrix erat, adhuc promotrix et gubernatrix esse diutius cupiebat pro Christoque pauperes consolari volebat in visceribus charitatis. In monasterio tamen faciens mansionem, in servando silentium in aliisque observantiis regiditatis vitam ducebat cunctis sororibus arctiorem.

[13] [admonentibus tamen docilis,] Præter ea vero, quæ jam de vestium ipsius Beatæ Hedwigis dicta sunt vilitate ac simplicitate hoc prætermittendum esse non puto, quod ipsa vestem novam nullatenus induere voluit, nisi prius ab aliqua secum commorante fœmina fuisset portata et pro parte attrita. Portabat etiam quandoque causa humilitatis tam diu aliquod indumentum, quod in eo, præ vetustate consumpto, fila evidentius prominebant. Unde quodam tempore soror quædam sibi familiaris, dum sic attrito eam videret pallio incedentem, dixit ad eam: Domina! quamdiu pallium hoc vos portare delectat? Subtraham illud vobis et dabo pauperi indigenti. Cui illa, ut erat semper mitis et humilis in dulcedine cordis, respondit: Si de hoc scandalizaris, quod ipsum diutius defero, citius emendabo. Et statim alio sibi pallio procurato, vetus a se removit, in hoc uno facto geminum adimplens humilitatis officium, dum pro Christo vilibus indumentis contegi nequaquam erubuit et ad commonitionem sororis simplicis illud, quod tunc ferebat contemptibile indumentum deponere festinavit. Hoc quoque faciendo docuit suo exemplo, debere hominem esse suadibilem et non in sensu proprio pertinacem.

[14] [omnes imprimis moniales,] De se hæc Christi famula semper humilia, de aliis vero sublimia sentiebat. In propria enim reputatione non erat aliud quam peccatrix, licet revera sinceritate conscientiae coram Deo et Angelis ejus esset vasculum omni sanctitudine plenum et coram hominibus exemplaritate vitæ appareret veluti speculum luminosum. Sanctitatem ergo, quam sibi putabat deesse, in aliis, quos bonos credebat, mira quadam affectione amplexari non destitit, devotioneque ferventissima insequi non cessavit. In spiritu enim humilitatis et in animo contrito loca, in quibus viderat stetisse aut orasse religiosas personas aut homines bonos suo judicio, nacta opportunitate humiliter super genua sua procumbens deosculando labiis contingebat. Sororibus quoque, hora comedendi congregatis, ad mensam accedens, in choro ad stallos singulis sororum sedibus oscula imprimebat. Similiter ascendens ad dormitorium omnes gradus et passus, per quos transibant sorores, insuper et scabellos positos ante lectos, virgas quoque, quibus accipiebantur disciplinæ, deosculabatur humillime et devote. Sanctum namque credebat omne illud, quod tangebant sanctimoniales prædictæ et homines Domino servientes, et ideo, quod illi tractabant ad usum, hoc ipsa tangebatur osculis reverenter, ut bonorum hominum et justorum meritis, quos venerabatur in rebus inanimatis, ipsa et suorum peccaminum veniam et majorem gratiam mereretur. Nec poterat ista humilitatis quotidiana exercitatio peragi absque interna dulcedine admiranda. Qualiter autem ipsam in benedictionibus dulcedinis prævenerit Deus, qui in orationem humilium respicit, perpendi poterit ex sequenti exemplo.

[15] [quarum vestigia pedum,] Quadam die, una de sanctimonialibus in monasterio Trebnicensi scire desiderans, quali modo famula Christi solitaria post alios remanens in ecclesia se in divino exerceret obsequio, cæteris sororibus in conventu discumbentibus, clam

intravit chorum et latuit, ibique vidit ipsam post singulorum deosculatorem sedilium et locorum, in quibus steterant pedes sororum, procedentem seque prosternentem et referentem more solito gratias omnium Creatori ante altare, ibidem in honore Virginis gloriosæ constructum, cui videlicet superemineret crux non parvæ magnitudinis, expressam continens venerandam imaginem Crucifixi. Ubi dum in oratione prostrata moram faceret, ut solebat, imago jam dicta manum et brachium dextrum de ligno crucis absolvens extendensque, ipsam benedixit, dicens voce sonora: Exaudita est oratio tua et quæ postulas, impetrabis. Satis credibile est, eam tunc a Domino postulasse, ut et sorores, ad quarum se frequentius humiliabat vestigia, in bonis perseverare operibus faceret et participationem meritorum ipsarum sibi Salvatoris clementia non negaret.

[16] [imo et sordes osculabatur.] Ad illa humilitatis exercitia, in quibus ipsa se delectari sciebat, quoscumque poterat exhortationibus et exemplis sedule invitabat. Unde sæpe veniens ad pannos, quibus sorores, postquam se laverant, manus tergebant, ubi in ipsis pannis vidit majores sordes congregatas ab extersione jam dicta, ibi præ amoris dulcedine et ex humilitatis virtute oscula fortius intulit, cum eisdem pannis, hujusmodi sordibus delibutis, crucis signum faciens oculos et pectus suum veluti cum pretiosis reliquiis consignavit. Insuper de aqua, in qua ipsæ sorores mundificaverant pedes, crebro tangebatur oculos suos et sæpius faciem totam, imo, quod amplius est mirandum, totum caput et collum suum ac nepotulorum suorum adhuc parvulorum, quos de filio habuit, facies et capita multoties abluit, spem firmam habens et credens, quod sororum sanctitas, quas aqua ipsa contigerat, tam sibi, quam dictis pueris, proficeret ad salutem. Nurum quoque suam, dominam Annam, informatione diligenti et sedula alliciebat ad similia facienda.

[17] [dein alios pauperes,] Exemplo humilitatis Salvatoris nostri, qui pedes pauperum lavit discipulorum, prout ex Evangelio didicerat, quamplurimum excitata, flexis genibus sæpissime abluabat pauperum pedes de calida aqua, quam acceptam a ministris sibi pedissequæ præsentabant. Lotis autem pedibus et extersis linteo, deosculabatur humiliter non solum pedes sed et manus eorum ipsosque pauperes, data eleemosina, studebat semper dimittere consolatos. In Cœna Domini specialiter illius amore, qui pro nobis ut leprosus voluit æstimari, pedes abluit leprosum et novis eosdem leprosum, quos laverat, vestibus induebat. Paupertatem quoque Domini nostri Jesu Christi, qui propter nos egenus factus est, tanto amplexabatur affectu et venerabatur obsequio, quod coram se semper habere pauperes, præcipue dum discumberet, voluit et illis humili corde, antequam sederet ad mensam, manu propria et flexis genibus cibaria ministravit. Deinde ad refectionem se ponens, potum non sumpsit, nisi prius de suo bibisset cyato pauper ille, qui inter alios pauperes deformior videbatur. Loca etiam in quibus sederant egeni, dum secretius id fieri poterat, deosculando labiis tetigit, Christumque sic in pauperibus, tamquam in suis amicis, specialibus honoravit. Petebat quandoque, sibi per sororem aliquam de relevamine pauperum a mensa sororum apportari panis fragmenta, pro quibus minutiis reddebat panes similagines integros, sorori quæ hæc ei portabat.

[18] [ac religiosos omnes profundissime honorabat.] Conventus religiosorum, possessiones habentium, sæpe benefica pietate visitare curavit et extra septa monastica faciens stationem ab omni eorum cavebat gravamine nec quemquam suorum sinebat de ipsorum contingere substantia violenter. Et quia cibos religiosarum personarum reputabat ut Angelorum escam sanctorum, fragmina panum recollecta de monachorum et monialium mensa a mendicis, quibus tribuebantur in eleemosina,

pretio comparabat et antequam in cibo acciperet ea venerabatur multiplicibus osculis. Nolens quoque diu carere illis, quæ sibi dulces erant pauperum epulis, duas appretiaverat pauperes fœminas, quæ portam Lubensem adibant alternatis hebdomadibus et quidquid ibidem eis panis et casei conventualis dabatur, ei pro refectioe delectabili apportabant. Similiter post refectioem religiosorum, quos coram se quandoque faciebat discumbere panis peripsima collectum velut Sanctorum Reliquias sibi pro cibo cum summa reverentia conservabat. Cupiebat enim exemplo pauperis Lazari buccellis mendicorum tenuiter refici potius, quam deliciosis panibus aut delicatis cibariis saturari, attendens illius magnæ fidei mulieris Cananeæ verbum, dicentis, quod et catelli de micis de mensa dominorum suorum cadentibus edunt. Pauperes omnes et præcipue religiosos, quia reputabat dominos suos, non quidem divitiis sed sanctitate sibi prælatos, ideo de ipsorum delectabatur ciborum reliquiis manducare. Christi quoque catulis, id est vere humilibus et pauperculis et a mundo despectis, quia se conformare quantum valuit, studuit, idcirco et ab iis, quos accuratius aluit, sæpius taliter, ut prædicitur, mendicavit. Humilitatem, quam hæc Dei famula in vita sua studiose didicerat, usque in finem in ea perseverans, in morte quoque nullatenus deserebat. Nam circa finem vitæ suæ, dum tractaretur de sepultura ipsius, petebat humiliter sepeliri in communi sororum cœmeterio aut in loco, quem reputabat magis humilem in ecclesia, ut infra, in tractatu de spiritu prophetiæ, ultimo capitulo plenius ostendetur. Unde et vivens et moriens post Christum, dicentem: Discite a me quia mitis sum et humilis corde, nitebatur incedere.

[19] [Patienter quoque molestias aliorum,] Patientiam quoque, humilitatis comitem et amicam, summe necessariam omnibus, ut in ea suam possideant animam secundum verbum Domini studuit diligentissime

conservare, nulli umquam irascens aut dure respondens, sed omnes benigne alloquens verbis consolatoriis, se cunctis exhibebat affabilem, semper ut bene decebat, religiosa maturitate adjuncta. Quicumque enim turbativum aliquod aut motivum molestiæ sibi quocumque casu non cavisset inferre, aliud non audivit ab ea, nisi hoc aut simile verbum, cum mansuetudine tamen prolatum: quare hoc fecisti? Deus tibi indulgeat! Talia fuerunt ad molestatores suos convicia, talia impropria, taliter ipsa de suis se molestatoribus vindicabat. Contigit quadam vice ut unus de camerariis ejus, nomine Chualizlaus, postmodum conversus in Ordine Prædicatorum, ipsius perdidisset tres pulchros scyphos argenteos, cui ipsa numquam impropria nec indignationis signa ostendit neque dixit ei aliud quam: "Vade et quære diligentius, si forte invenire valeas vasa, quæ incurate custodiens perdidisti." Et hoc ipsum cum tanta modestia protulit, quod molestari non poterat homo, qui negligentiam jam dictam commiserat, ut ipsemet postmodum fatebatur.

[20] [et calamitates] In causis magnæ turbationis, secundum hominem, virilem semper animum et constantem ac vultum hilarem exhibebat, ostendens, per patientiam omnem molestiam esse vincendam. Audito namque nuntio de captivitate et vulneribus, quibus graviter exstitit sauciatus vir ejus dux Henricus, dum caperetur a Conrado duce Cujaviensi cum omni mansuetudine tranquilloque animo respondebat: "Spero quod eum cito Dominus liberabit suorumque vulnerum plenariam recipiet sanitatem," quod et factum est. Nam dum detentorem prædictum, multis tractatibus habitis congruisque exhibitionibus intercedentibus, nullus inducere posset, ut ducem captivum dimitteret, inventum est consilium, quod suorum manus valida populorum armis eum bellicis liberare deberet. Exhorrescens autem ancilla Christi Christianorum inter se pugnare volentium stragem et sanguinem effundendum, pro omnibus se

exposuit adiitque personaliter præfati detentoris viri sui præsentiam. Qui videns Dei famulam, veluti ad conspectum vultus angelici subito pavefactus pavoreque correptus, mentis ferocitatem prius inflexibilem omnino deposuit, concordiam iniit, ac ducem dimisit. Sic amica omnipotentis, quia in se conatu virtuoso plenissime motus impatientiæ et rancoris superaverat, ipsos quoque in aliis virtute mirifica refrenabat. Occurrunt alia adhuc patientiæ ipsius exempla, ædificationis nostræ ejusque laudis gratia non tacenda.

[21] [mortemque suorum ferebat.] Mortuo namque jam dicto duce Henrico, ejus marito, qui defunctus est circa annum domini millesimum ducentimum XXXVII, dum omnes sorores in Trebnicz pro amissione tanti ac talis patroni et fundatoris monasterii flerent inconsolabiliter, ut quasi præ lacrimis viderentur deficere et essent multæ ex eis quasi exanimes, ipsa siccis apparens oculis inter eas, fœminei cordis earum redarguebat mollitiem dicens: Quid turbamini? Numquid vos divinæ voluntati vultis contraria fieri? Hoc non expedit vobis, carissimæ, cum Creator de sua creatura possit et debeat absque nostro tædio agere quod placuerit suæ clementiæ ejusque circa nos et de nobis operatio, nostra præcipue debet esse consolatio, præsertim ipsius cum simus factura. Hæc et his similia loquens, sororum lacrimas intendebat compescere et earum graves molestias mitigare. Præterea consolabatur illas in causa tristitiæ propriæ, non quod ipsa mariti mortem diligeret, quem in Domino diligebat, utpote virum virtuosum et utilem populo, sed quia divinæ voluntati ipsa se nitebatur per omnia subdere et volebat constantiæ atque patientiæ exempla in tempore suæ tribulationis sororibus demonstrare. Similiter dum audivit filium suum, ducem Henricum, occisum in prælio Tartarorum nullis erumpentibus lacrimis aut signis ostensis doloris, filiam suam, abbatissam in Trebnicz et nurum suam, ejusdem occisi filii conjugem,

flentes et quasi morientes præ tristitia consolabatur et dixit: Dei voluntas est et nobis placere debet, quod vult Deus et quod placet Domino Deo nostro. In ipsa quoque hora exultavit in Domino spiritus ejus levatisque in cœlum oculis et manibus ajebat: "Gratias tibi ago, Domine, quod talem mihi dederas filium, qui me dum viveret, semper dilexit et in magna reverentia habuit, nec umquam in aliquo molestavit. Quem licet multum libenter mecum haberem in terris, ei tamen quamplurimum faveo, quod per sui sanguinis effusionem tibi Creatori suo est jam conjunctus in cœlis. Cujus animam tibi Domino Deo diligentius recomendo". His humilitatis et patientiæ donis, quibus ipsa Domino præstante extitit gratiosa, proximis exempla præbens, ipsos roborabat non solum in prosperis, verum etiam in adversis. Humilitate namque sua docebat, ne prospera quemquam extollerent, patientia vero, ne adversa nimis hominem ad ima jactarent.

ANNOTATA.

Scarletum, seu Scarlatum, Squalata erat color maximi pretii, cum, ut habet Du Cange Voce Scarlatum, Gulielmus, comes Pontivi monasterio S. Mauritii Agaunensi contulerit XIII libras Parisienses ad emendas XX ulnas scarlatæ, ad facienda scilicet caputia, quæ prædicti canonici in signum martyrii BB. MM. Mauritii sociorumque ejus jure Ordinis et consuetudinis in ecclesia gestare dignoscuntur. Summi quoque pretii fuisse crocea pepla et crispata velamina, de quibus paulo infra loquitur biographus, ex simili ratione judicare licet.

Camelinum est panni genus ex pilis camelorum confectum; licet quandoque apud antiquos habeatur tamquam vilissima restis species, ut videre est in Glossario Du Cange Voce Camelotum: sed quoniam a S. Hedwige adhibebatur diebus solemnibus, hic certe

significatur pretiosior pannus, quam quotidianus griseus, quo Sancta nostra utebatur. Cameraci olim optimi conficiebantur panni Camelini: vide Du Cange l. c.

Barbati cognomem, Henrico I inditum, monstrat isto sæculo, saltem in Silesia, laicos non consuevisse barbam, etiam moderata pilorum præcisione decenter aptatam gerere.

Laudat hoc factum Canonicus Ritter [Gesch. der diöc. Bresl., t. I, p. 140.] tamquam insigne documentum humilitatis et simplicitatis Sanctæ nostræ, et quidem merito, quum aperte monstret, quam longe a corde S. Hedwigis exularet omnis propriæ sententiæ tenacitas, quæ falsæ pietatis est quasi tessera.

Peripsima, Cangio, Voce Peripsema, limatura metalli, purgamenta pomi, quisquiliæ domus et rasura cujuscumque rei. Biographum itaque interpretabimur, quasi S. Hedwigis cibum suum ex micis et abjectitiis collegisset, quod confirmatur ex textu Euangelii paulo infra allato.

Hujusmodi camerarii, licet non essent servi, videntur tamen obligati servitio domini sui: sic in Catalogo abbatum Saganensium legitur abbas Theodoricus, sæculo XIV tot inimicos habuisse [Stenzel. Scriptt., t. I, p. 192.] , ut manu armata cum pluribus servitoribus, et CAMERARIIS armatis et balistariis eum de loco ad locum incedere sæpius oporteret. Vide plura apud laudatum Stenzel [Ibid., p. 12, not. 1.] .

Cap. III.

De austeritate vitæ S. Hedwigis.

[Sanctæ jejunia assidua,] Ut Christo, qui pro omnibus mortuus est, vivere posset Beata Hedwigis membra sui corporis super terram continue mortificabat pœnarum flagellis crucem quotidianæ castigationis accipiens, et post Christum virili gressu incedens, non formidabat pro ipsius amore sicut occisionis ovicula fieri, qui pro omnibus ex nimia dilectione voluit crucifigi. In carne enim sua trucidabat afflictionis gladio vitia, bestiales motus frenabat, domabat lasciviam sensuum exteriorum ad uberioresque gratiam et profectum virtutum interiorem hominem disponebat. Quotidianum namque observabat jejunium, exceptis diebus dominicis et præcipuis quibusdam festivitibus, in quibus bis quandoque refectionem sumebat. Ab esu carniū ab omnique cibo, carnis pinguedine saginato, abstinuit omnino annis circiter quadraginta, nullius umquam precibus aut reprehensionibus acquiescens, ut bonam hanc consuetudinem violaret. Nam dominus Ekebertus, Babenbergensis episcopus, germanus ipsius, quem reverebatur et diligebat, ut decuit diligere fratrem, indignatus aliquando eam redarguit pro eo, quod non comederet hujusmodi esculentum, ipsa tamen prætermittere noluit propter quantumcumque sibi dilectum hominem bonum propositum et opus sanctum, quod pro Dei dilectione jam dudum inchoaverat et perficere cum Dei adjutorio intendebat.

[23] [abstinentia a carnibus,] Vivente adhuc marito suo, antequam plene in notitiam devenisset ipsius abstinentiæ miranda religiositas, parcius comedebat in diebus, in quibus alii carnibus utebantur, quam in diebus jejunii, pro eo, quod simulatione sancta sibi deluderet ministrantes. Nam formando volvendoque hinc inde per scutellam et tangendo ac si comederet bolos carnales sic caute agebat, ut eam non possent cognoscere abstinentem, unde nec cibi competentes ei pro jejunio parabantur. Surgebat ergo a cibariis, corpore sæpius vacua, sed

mente spirituali gaudio plena et in Deo jucunda. Dum igitur perseveranter sic carnale devitaret edulium, dominus Wilhelmus Mutinensis veniens apostolicæ Sedis legatus per Poloniam, ei tunc ægrotanti, ut reficeretur carnibus præcipiendo injunxit. At illa mandantis quidem adimplevit præceptum, sed tamen dicebat, se plus mentaliter de carniū comestione gravari, quam de illa satis gravi, qua tunc laborabat, ægritudine corporaliter tormentari. Intelligens autem hæc Deo docta et superno illustrata lumine fœmina, discretionem virtutum esse aurigam, nec oblationem bonorum operum Deo fore acceptam, si discretionis sale careret, in castigationibus suis aptis intendebat modificationibus et quantum poterat diligentem operam dabat, ut asinum animæ, corpus suum videlicet, et satis dure flagellando attereret et modeste cibando pro viribus sustentaret, ne si forte ipsum indiscrete gravaret et nimium prius eum sub onere domini cogeret ruere, quam pondus diei et æstus portantem usque ad tempus remunerationis ordinatum a Domino sineret pervenire.

[24] [et certis diebus a lacticiniis;] Pro hac absque dubio causa sic primo in abstinendo dies hebdomadæ distinxerat, et aptaverat pro se cibos, ut die dominico et tertia ac quinta feria piscibus ac lacticiniis, sabbato vero et secunda feria leguminibus aridis, quarta autem et sexta feria pane et aqua solummodo vesceretur. Hanc formam abstinendi dum per tempus aliquod observasset, in servitio Domini postmodum effecta robustior spiritu, diebus singulis legumina tantum arida cum pane grosso siligineo comedebat, decoctam ac in frigidatam continue bibens aquam, exceptis diebus dominicis et quibusdam solemnitatibus magnis, in quibus coacta per diœcesanum episcopum ac per confessores suos bis utebatur piscibus et lacticiniis et bibebat tunc cervisiam, quandoque tamen ad hoc vix inducta precibus secum commorantium dominarum. Multos dies in Adventu Domini et in

Quadragesima majori, multorumque Sanctorum et Sanctarum et præcipue Sanctorum Apostolorum vigiliis ac feriam sextam semper in pane jejunabat et aqua. Sed nec de eodem tenui alimento tunc suo debili corpusculo sufficientiam ministrabat, præsertim cum tres morsellos solummodo sumeret panemque mixtum cinere, prædicta die sæpius manducaret. Quod jejunium strictissime observavit, donec notabiliter in ipsa cœpit prævalere debilitas, ex tunc utendo leguminibus ac pultibus in cervisia decoctis, hunc nimium rigorem abstinentiæ temperavit. Dum ei aliquando diceretur, cur tot dies et Sanctorum vigiliis tam arcto jejunio coleret? respondebat: "Sancti sunt nobis necessarii et idcirco, ut nobis subveniant et in hora mortis occurrant, ipsos debemus merito venerari. Præterea constat, corporali jejunio vitia comprimi, mentes ad cœlestia elevari virtutesque et æterna præmia donari a Deo, etiam satis necessarium et utile reputo, carnem abstinentia macerari." Juvenes quidam nobilium filii in curia ipsius conversantes, quandoque dicebant: "Deus a tali dominio nos custodiat, quale ista habet domina nostra, quæ tantum comedit de pane et aqua." Hoc quidem dixerunt, non pro eo, quod ipsi defectum aliquem paterentur, sed quia de tam stricta dominæ abstinentia mirabantur.

[25] [aqua, aliquando in vinum] Accusata fuit aliquando coram marito suo de aquæ continua bibitione, propter quod ipse indignatus, indiscretionem hoc reputans excessivam et infirmitatum, quas ipsa patiebatur frequentius, fore causam, eamque refrenare volens, venit ad locum, ubi ipsa sedebat ad comedendum in mensa, et ex improvise ingrediens accessit subito et tollens scyphum coram ipsa positum cum aqua, bibit de eo, sentiens quoque boni vini saporem in eo, quod fuerat aqua pura, irascens accusanti dicebat: "Tibi deberent jam oculi pro tuo mendacio erui:" nesciebat enim, quod illud a Domino factum fuit et erat mirabile in oculis

personarum ibidem ministrantium, quæ sciebant, quod infuderant dominæque suæ propinaverant aquam puram. De qua mox aqua vinum factum et ipsæ personæ post duces experiri volentes rei veritatem gustabant, advertentesque factum miraculum propter Sanctæ Hedwigis merita, Dominum collaudabant. Una de personis ibidem tunc existentibus de vinoque miraculose facto bibentibus erat Adelheydis, relicta Theoderici de Janonicz militis, fœmina utique in bonis operibus fervida, quæ bis Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum visitaverat limina. Unde testimonium ipsius de præfato miraculo tanto fuit efficacius, quanto vitam ejus constabat amplius religiosis actibus adornatam. Isto ergo opere mirifico Deus et delatores famulæ suæ compescuit et ipsius devotionem fortius roboravit.

[26] Præter ea vero, quæ jam dicta sunt de Beatæ Hedwigis continuo et valde stricto jejunio hoc quoque ipsam admirabilem, [conversa, utitur;] etsi non imitabilem, cunctis reddit, quod ipsa semper parum comedendo temperatissime corporis refectionem accepit in tantum, ut etiam plurimi mirarentur, quomodo non fame tantæ abstinentiæ fœmina moreretur. Sibi autem sufficere videbatur et optime sufficere poterat ex quo eam virtus Altissimi confortabat. Unde magistro Ægidio archidiacono Wratizlaviensi, viro utique magnæ austeritatis, corripienti eam pro tanta abstinentia et cibo tam parco, respondit: "Quod mihi sufficit, comedo." Intelligebat enim, alimenta esse sumenda, veluti medicamenta, idcirco accipiendo sufficientiam ad necessitatem sustentationis naturæ, summopere superfluitatem cavebat.

[27] [corpusculum suum] Christo pro nobis in cruce nudato, quamvis in denudatione omnimoda non potuerit conformari, ipsum tamen instantissime imitari conabatur, in quantum valebat, in vestimentorum paucitate et

penuria; et ideo vix illa retinuit corporis indumenta, quibus ad se contegendum carere non poterat, deformata per peccatum natura. Dimissis ergo multiplicibus, quibus abundabat vestibus pelliciisque ac pellibus derelictis, una tantum tunica et pallio simplici hyeme et æstate, in frigore et calore macilentum contegebat corpusculum, adeo attenuatum jejuniis, ut sub cute squalida et pallida, disciplinis ac frigoribus hypsida, remansisse ossa tantummodo marcida viderentur. Et quia fervore caritatis æstuabat interius, exteriores non æstimabat algores, quamvis existentes circa ipsam fœminæ viderent eam sæpius totaliter gelidam, præcipue tempore hyemis asperioris. Quibus etiam, dum rogaretur ab eis, ut sibi aliquantulum condescenderet, respondebat: "Faciam, cum fuerit opportunum;" et sic nihilominus perseverans in oratione manebat. Nec mirum si seminuda et discalceata vadens Dei famula in algoribus hyemis, dum alii bene vestiti videbantur deficere, tam diu potuit orando persistere, ex quo intra eam cor ejus sic concaluit sicque in meditatione ipsius ignis divinus exarsit, quod exinde vis quædam flammea foras erumpens, non solum sibi, verum etiam alteri impressiones frigoris receptas in corpore mitigaret.

[28] [macerat vestium inopia,] Accidit enim, quodam tempore hyemali, ut dum diutius devotionis suæ exercitio inhæreret, una, quæ ipsam exspectabat famula, nimium algefacta ei cogereetur exprimere, quod illius, quam tunc sentiebat asperitatem frigoris, non posset amplius sustinere. At illa cedens in partem eam, in eo, in quo ipsa nudis pedibus steterat loco, stare præcepit. Quod dum fecisset pedissequa, statim, eliminato intolerabili frigore, gratioso fuit relevata calore. Ipsa quoque delicata Dei vias ambulabat difficiles, nam sequendo Christum nudis gressibus in gelicidiis et nivibus incedebat. Habebat tamen semper apud se sine filitro et absque soccis calceos simplices, quos sub ascellis portans continue,

tunc tantummodo induit, cum venerabilibus personis occurrere voluit; quibus abeuntibus, ipsos protinus deponebat. In operibus suis, quia soli Deo, qui videt in abscondito, desiderabat placere et laudes humanas devitare curabat, ne deprehenderetur nudis frequenter incedere pedibus, vadens ad ecclesiam quandoque calceis usa fuit, ad eam autem perveniens, mox, nudatis pedibus, in nudo deinceps residens pavimento orationibus insistebat. Sic intuentium oculis occultationis prudenter opposuit pallium, maxime adhuc vivente marito. Quem in principio dum hæc bona inciperet agere, non inmerito cum reverentia formidabat, metuens ne forte bonum opus sibi prohiberet, primo humanum aliquid passus, quod postmodum ex assuefactione dissimularet in ea et permetteret, factus Deo magis devotus.

[29] [excalceatione,] Unde accidit quadam die, ut more solito ipsa sine calceamentis incederet et ex opinato eventu dominus dux, ejus maritus, sibi veniret ex abrupto et sic artato tempore obviam, ut calceos, si quos tunc apud se habebat, induere non valeret. Sed quod per se non potuit facere, ille, pro cujus amore nudis pedibus incedebat, dignatus est miraculose subimplere. Nam subito calceata coram marito aparuit et sic indignationem et improperium ipsius evasit. Contigit aliquando per oblivionem aut per negligentiam aliquam, ut illi quos secum gestabat calcei, sibi de sub brachio caderent, quos eam sequentes famulæ vel aliæ familiares invenientes ei reddebant. Confessores ipsius eam sæpius hortabantur, ut calceis uteretur et dominus, Guntherus abbas tunc ejus confessor, novos ei calceos obtulit per obedientiamque, ut eos portaret, injunxit. Quos ipsa gratanter accipiens, portavit non quidem in pedibus, sed, ut prædicitur, sub ascellis. Completo anni circulo abbas eam, quia non portasset calceos, de inobedientia inculpabat. Ipsa vero calceos, ut acceperat, non attritos sed recentes produxit, humili voce dicens: "immo, pater,

obediens fui, en hi sunt calcei, quos mihi dedisti et ego eos frequenter portavi." Similiter dum jam post longam macerationem multum debilis esset, domina Anna nurus ejus, rogavit fratrem Herbordum de Ordine Fratrum Minorum, tunc confessorem ipsius, ut eam cogeret per mandatum, induere calceos et portare. Illa mandato accepto de induendis calceis et portandis, pedulos laneos imposuit pedibus suis, calceos vero more solito ferebat sub brachio, donec ad fratrem predictum confessorem veniens precum instantia obtineret, quod eam in consueta nudipeditatione perseverare usque in finem vitæ permetteret. Pedes sæpius habuit lutulentos, quos tamen lavari rarius permittebat.

[30] [unde pedes manusque] Calcanei ejus, quibus nudatis terram terebat grossi erant et duri, multas habentes et adeo magnas fissuras, quod in eis magna poterat collocari festuca, immo quod amplius est, imponi digitus potuit, secundum quod compertum est a Juliana sorore monasterii Trebnicensis, quæ ipsas fissuras perspexerat, ut postmodum coram examinadoribus asserebat. Nam tempore quodam in Cœna Domini domina Gertrudis abbatissa, filia Sanctæ Hedwigis, dum celebrando mandatum pedes lavaret sororibus, sicque post loturam a singulis, quas laverat, transiens pervenisset ad matrem, quæ ibidem mandato intererat, eam ut sorores alias flexis genibus lavare volebat. Sed matre hoc humiliter declinante, nihilominus abbatissa prædicta surgere noluit, donec reverenter ablutionis beneficium pedibus matris impendit. Unde perseverante filia et piam continuante pertinaciam, tandem precum instantia victa mater humillima pedes ad lavandum protendit. Tunc dicta soror Juliana, quæ tunc pelvim cum aqua tenebat, vidit scissuras præfatae magnitudinis in pedibus Beatæ Hedwigis, de quibus cruor eductus vi frigoris sæpius emanabat. Hunc cruorem, ipsa ignorante,

in luto et in nive familia ejus sequens vestigia, multoties recentem reperit et perspexit.

[31] [congelabantur,] Viderunt et fœminæ sibi familiariter ministrantes, qualiter ipse cruor erumpens plantis ipsius inhæsit. Nam quadam die, dum post orationem fatigata, quietis gratia divertisset ad calefactorium, obdormivit ibidem, soror vero Jutha domus Trebnicensis, sibi tunc serviens, supervenit et videns coagulatum cruorem, qui de scissuris præfatis effluerat, ipsius dormientis pedibus aliquantulum extra vestimentum prominentibus adhærentem, admirans ipsa austeritatem pœnitentiæ, quam in Sancta Dei ancilla perspexerat et hoc ipsum austeritatis signum, caute tamen, aliis ostendebat. Quantacumque esset asperitas frigoris, nudatis tamen semper manibus ad legendum psalterium tenebat et lumen. Orando quoque, nudis manuum articulis terræ frequentius incumbibat, propter quod et manus ipsæ multas habebant fissuras, de quibus sæpe guttæ sanguinis effluebant. Quæ signacula sanctitatis, quamvis cum diligentia abscondere conaretur eas, tamen sæpe sibi ministrantes famulas contigit intueri, dum ad lavandas manus aquam sibi præberent. Nec ab omnibus diu potuit esse absconditum, quod ad gloriam suam tandem Deus fieri voluit manifestum.

[32] [vestibus cilicinis] Cilicium durum, de pilis equorum contextum, ferebat proximum corpori. Cui cilicio manicas de albo assuerat panno, sic pie volens deludere intuentium oculos, ne ab eis intrinsecus latens vestis asperior videretur. Zonam quoque nodosam, de pilis equorum contortam, super lumbos suos constrictam portabat, cujus asperitas in tantum exulceraverat carnes ejus, quod per familiares sibi fœminas eam oportuit ab ejus corpore extrahi et saniem de ipsis jam putrefactis carnibus pannis mollioribus desiccari. Vir quidam religiosus de Ordine Templariorum zonam de simili opere

factam clausam diligenter in sacco, ipsi dominæ, præsentate nuda sua domina Anna, obtulit corde simplici et devoto. Dicta domina Anna ex specialis familiaritatis confidentia oblatum dominæ sacculum solvit et aperuit inveniensque in ipso tam crudele pro laceranda carne fragili instrumentum, vehementer impatiens facta, virum qui zonam exhibuerat verbis invectivis aggrediens arguit, quia talia tali dominæ xenia præsentare præsumpsit. Quod Dei famula audiens et factum intelligens, ut erat semper mitis, benigna voce nuda compescuit dicens: "Desine, filia, indignari et reprehendere hominem, divinum enim est beneplacitum et Dei voluntas, quod fecit. Nam si Domino non placeret, ut hac zona deberem salubriter uti, non eam mihi pro munere ordinasset ab homine exhiberi." Illa namque zona, quam prius super lumbos portaverat, corrodingo diutius corpus ejus, jam erat consumpta, ideo novam tamquam sibi a Domino missam cum gaudio acceptabat. Domina Anna, considerans quod ista Beata ex afflictione diutina jam tunc esset quamplurimum viribus destituta, et, si quid adhuc in ea supererat virium, tali genere tormenti contingeret penitus enervari, fratri Herbordo prædicto confessori ipsius precibus institit, ut ei de indiscretione conscientiam faceret et hoc cruciationis machinamentum sibi strictissime prohiberet, compelleretque ipsam, abjecto cilicio et zona cilicina deposita, uti tunica leniori. Ad quod faciendum rogatus confessor, dum forte ipsam niteretur consiliis flectere, mœsta dicebat: "Deus indulgeat filiæ meæ," nuda suam dans intelligere, quod meum revelavit secretum. Non tamen quam assumpserat vestem duram deposuit, sed usque in finem se castigans in ea mortua fuit.

[33] [humi cubatione,] Ut enim salutis esset fructibus opulenta, glebam continue conterebat corpoream et agrum corporis exercuit diligenter, nullius consiliis acquiescens aut precibus, dum in his impedimenta

sensisset. Quapropter filius ejus, dux Henricus, ei, ut decebat, dilectæ matri compatiens, sæpius quasi conquerendo dicebat: "Matrem meam nulla supplicatione possum inducere, ut velit mitius agere in operibus afflictivis. Ipsa namque veraciter cum Apostolo dicere poterat: Omnia possum in eo qui me confortat!" quia vires, quas fœminea denegabat infirmitas, virtus sibi divina mirabiliter confovebat. In lecto, sibi secundum ducalem decentiam præparato ad quiescendum, se non deposuit, sed aut super tabulas ligneas, aut super pavementum scori tectum, quando eam sopor opprimeret post longas orationum in sero vigiliis, repausabat. Si autem cum jam debili et infirmo aut nimis fatigato corpore volebat aliquando indulgentius agere in stramentis filitro coopertis, aut in saccone, ut quiescere posset, pro tempore se locavit. Super culcitram vero numquam, quantumcumque esset infirma, sinebat requiescere membra sua. Semel namque ægrotanti sibi substrata fuerat culcitra, quam mox, ut sensit, amoveri precepit

[34] [vigiliis] Supra vires humanas sacris instabat vigiliis, nam ad matutinum, quantumlibet mane et sæpe priusquam pulsaretur surgebat, nec postmodum redibat ad lectum, ut se somni beneficio relevaret, sed pervigil in orationibus remanens meditabatur nocte cum corde suo et scopebat non solum fuis lacrimis spiritum suum sed etiam scoparum ictibus corpus suum acerrime affligebat. Infra matutinas namque sororum capituli locum ingrediens se disciplinabat in tantum, ut guttæ cruoris de ipsius corpore remanentes in scorio a subsequentibus viderentur. Nec contenta plagis, quas propriis manibus sibi inferebat, quin et fœminas familiares aliquas ad hoc induceret, ut ipsam sæpe usque ad effusionem sanguinis verberarent, prout postmodum cum lacrimis narraverunt. Interrogata enim aliquando domina Demundis cur fleret, respondit: "Quomodo non plorabo, cum cogar flagellare

hominem donec effundat sanguinem, in quo sunt solummodo ossa arida cute contacta?" Hujuscemodi enim verbis dabat intelligi, dominam suam Beatam Hedwigim, cui ipsa semper familiarissima extitit et eam modo prædicto ad ipsius mandatum flagellis afflixit, præcipue in Quadragesima, in vigiliisque Sanctorum et diebus Quatuor Temporum ac in sextis feriis specialiter ob memoriam dominicæ Passionis. Soror quoque Victoria domus Trebnicensis, ejus coacta mandato ac precum ipsius compulsata instantia, ipsam modo consimili flagellavit sæpissime, ut postmodum coram examinatore enarravit.

[35] [et flagellationibus.] Sic ista cœlestis colona, mente superna inhabitans in cultura spiritus, carnis tellurem solemnibus tantum diebus exceptis, scindebat quotidie, nec cessabat etiam in infirmitatibus, quin se flagellari juberet. Nitebatur quidem hæc Sancta flagellationes has duras, in abscondito ei factas, sic ab aliis occultare, quod manifestari non possent, sed tamen omnino celari non poterant, præsertim cum verbera gravia longius resonantia pedissequarum foris præstolantium auribus intonarent. Idcirco nec ostia diligentius clausa nec custodiae sufficienter appositæ foribus præcavebant, dum hæc fierent, quin istius castigationis beneficium proderetur. Et quia brevibus explicari verbis non poterit, qualiter assidue hæc famula Christi carnem suam crucifixerit cum vitiis et concupiscentiis, verba dominæ Annæ nurus suæ hunc tractatum de austeritate vitæ ipsius concludant, quæ sic dicebat: "Cum audiverim Vitas diversorum Sanctorum, numquam aliquid de ipsis tantæ asperitatis intellexi, quin in ista majus vel simile viderim."

ANNOTATA.

Quadragesima major est jejunium, quod solemnitatem paschalem præcedit: tres nempe

numerabantur **Quadragesimæ**, ante **Nativitatem Domini**, ante **Pascha** et post **Pentecosten**. **Du Cange Voce Quadragesima**.

Quæ in laudem jejunii a biographo hic proferuntur desumpta sunt ex **Præfatione quadragesimali Missalis Romani**: **Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et præmia per Christum etc.**

Antiquitatem et universalitatem peregrinationum ad limina Apostolorum testantur vel sola Martyrologia.

Filtrum in calceis adhibebatur ad procurandum calorem pedibus. **Du Cange Voce Veltrum** sub **Feltrum**. **Atque hinc discimus S. Hedwigem calceos absque Filtro gestasse, ut etiam hac industria pedes suos, si quando calceos induere cogeret, opportuno calore privaret.**

Peduli lanei, scilicet socci absque solea, quæ asperitatem viarum et frigus averteret. Du Cange Voce Pedulus.

Quatuor novimus S. Hedwigis confessarios, scilicet Fr. Herbordum Ordinis Minorum de quo hic sermo fit: eodem numero alter nominatur confessarius, Guntherus II, abbas Leubensis, qui prælaturam gessit ab anno 1203 ad 1230. Tertius occurrit infra num. 85, Matthæus, Ordinis Cisterciensis, qui Sanctæ moriturienti confessarius adstitit. Quartus occurrit in Vita Annæ, ducissæ Silesiæ [Ibid., p. 127.] , cujus erat capellanus, apud quem S. Hedwigis, deficientibus FF. Minoribus, quandoque confitebatur.

Ne defecisse dicamus Sanctam nostram ab ea humilitate et simplicitate quam laudavimus supra cap. II Annotato, verisimile habendum est S. Hedwigem in hoc

casu obtinuisse ab Herbordo, confessario suo, ut porro pergeret in ferendis cilicio et zona asperrima.

Quas hic habemus voces filitrum et culcitra, interpretamur; filitrum quidem grossioris panni genus, quo etiamnum, præcipue hyemali tempestate, utimur decumbentes. Cfr. Du Cange Voce Feltrum. Est autem culcitra, hic stramentis opposita, mollioris lecti, lana vel plumis inferti, species.

Scopæ hic virgas, quibus se flagellabant homines, indicant ex viminibus confectas; scorium vero est flagellum ex corio aptatum. Du Cange Voce Scoriata.

Cap. IV.

De oratione ac devotione S. Hedwigis.

[In oratione assidua] Sciebat amica Dei, hominem in corpore positum peregrinari a Domino, ne in hoc exilio foret absque consolatione divina, spiritu et animo semper se conabatur Domino exhibere præsentem et dilecti, miro modo consolantis et consolari scientis, præsentiam totis affectabat præcordiis, ut arcano ejus potiretur alloquio, amoris frueretur dulcedine et salutaris effectum gratiæ, degustaretque cordis palato mirandæ suavitatis ipsius saporem. Et, ut hoc fieri posset secretius, ageretur quietius, certius eveniret et sæpe contingeret, explorabat convenientiam temporum, aptitudinem quærebat locorum, modos quærendi ipsum dilectum diversimode variabat. Et quia jam experientia certa didicerat, omne tempus esse conveniens ad eum quærendum et quod frequenter appareret vigilantibus quærentibusque cum desiderio se prior ostenderet, quamplurimum, ut prædicitur, vigilabat meditandoque et orando continue circuibat, quærens quem diligebat anima ejus. Ardens erat cor ejus unde nec quiescere poterat præ amore Dei,

quem amabat, et desiderabat habere præsentem, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.

[37] [diu noctuque] Dies ergo noctibus continuando et noctem jungendo diei, in sacris perseverabat excubiis, præstolando consolatoris adventum, ut venienti et pulsanti ad januam cordis, celeriter aperiret. A Completorio namque usque ad profundæ noctis silentium prolixius insistebat orationibus, ut quando desides solet sopor homines occupare, ipsa vocem audiret dilecti pulsantis et dulciter alloquentis. Audiret, inquam, verbum illud a sæculis absconditum ac a mundi tumultibus elongatum, audiret utique verbum dulcissimum, quod deliciis affluit et redundat salutaribus sacramentis. Istius verbi suavitate quia perfrui desiderabat, sollicite vigilabat, ut cæteris dormientibus quasi furtive suscipere auri sua venas susurri ejus. Dilectus vero hanc ei reddebat vicissitudinem, ut excubantem in tam vigilantia custodia non transiret nec declinaret ab ipsa, sed stabat et loquebatur amatoria inflammabatque cor ejus ita, ut in flamma amoris ipsius eum præsentem cognosceret ac in immutativa virtute ipsum adesse intelligeret, quem amabat. Quis modo in nobis omnibus est adeo vigilans et observans tempus visitationis Domini sponsumque advenientem ita per singula ejus momenta diligenter explorans, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiat ei sicut ista, quæ paululum dormitavit, paululum dormiebat, quando post longas vigilias eam somnus irruens opprimebat? Quoties enim familiares quædam dominæ apud eam manentes, bene somno relectæ, surgebant, eam adhuc vigilantem et orantem in cubiculo ante lectum suum et confabulantem cum illo inveniebant, qui est desiderabilis totus. Postquam autem modico relevata somno fuisset, denuo exsurgebat, vel mediæ noctis tempus observans, vel diluculum ad minus præveniens, ut cum laudarent astra matutina Dominum et

jubilarent omnes filii Dei, ipsa quoque devotas persolveret Deo laudes.

[38] [in oratione perseverabat,] Cognovit namque informata divinitus præveniendum esse solem ad benedictionem Domini capiendam, et ad manna cœlestis gratiæ colligendum, ideo perseveravit in laudibus Dei per diem a colloquiis divinis et oratione non cessans, nisi deberet comedere aut alia de Deo audire aut si volebat operibus insistere pietatis. Nec tunc vere ab orationibus desiit, ex quo benefacere non cessavit. Corporis quoque dum sumeret alimentum, divinum non deserebat colloquium; nam ei, quia bene litterata erat et intelligebat Scripturas, frequenter legebatur ad mensam. Cui sacræ lectioni sæpe tam avide intendebat, quod bolum levatum tenens manibus, ori non imposuit vel masticationis oblita in ore positum tenuit et lacrimas fudit, ut veraciter posset dicere cum psalmista: "Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo." Vivaciorem enim habuit gustum in refectione mentis quam ventris. Sic benedicebat hæc Sancta in omni tempore Dominum et semper laus ejus erat in ore ipsius.

[39] [sæpe cœlestibus] Considerabat quoque, omnem locum esse aptum ad benedicendum Deum, unde in omni loco dominationis ejus anima ipsius benedictionem Domini resonabat et laudem. Loca tamen secretiora et Deo dicata plus inductiva mœroris advertens ad orandum, libentius frequentavit, ut aliorum devitato aspectu, familiarius scala devotionis parietem carnis transcendens menteque ad dilectum pertingens, ei spiritu et fervore animi commodius jungi posset. Dilectus quoque hanc ei vicissitudinem rependebat, ut dum devotionis brachio et amoris glutinio ipsum avidius stringeret, ab inquietudine aliquando, casu aliquo superveniente, virtute eam mirifica præservaret.

[40] [gratiis cumulata;] Accidit enim tempore quodam, dum sic sequestrata oraret in quodam domicilio, ut unus de ministris ejus, nomine Boguslaus de Sauon, cui ipsa coquinam pro pauperibus commiserat specialiter procurandam, ollam, in qua decoqueretur aqua pro ea more solito ad bibendum, de eadem domo vellet accipere et dum appropinquaret ad locum, vidit eam in oratione positam tantaque luce circumdatam, quod territus pavoreque non modico compulsus a domo subito retrocessit, nec de cætero ausus fuit accedere, sed magis recedere festinabat, per dominam autem revocatus, accepto vase cum tremore abibat, ut in ipsa luce visibili et in timore, qui cecidit in cor viri, perfecte daretur intelligi, quod ipsa mente jam tunc appropinquaverat illi, qui lucem inaccessibilem habitat illiusque lumine, qui omnem illuminat hominem, in hunc mundum venientem, tunc specialiter fuerat illustrata. Unde, prohibente divina virtute, non permittebatur aliqua inquietudine forinseca distrahi, quamdiu ei placebat; aut, disponente Deo, debebat somno contemplationis et requie perfrui in cordisque lectulo dilecti consolationibus immorari. Nonne in ea tunc fuit impletum illud verbum dulcissimum sponsi? "Ne suscitatis neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit."

[41] [quocirca secreta] In ecclesiis quoque dum ipsam contigit interesse divinis, ab aliis se abscondit sub quibusdam pannorum velaminibus, orans et flens tam largiter, ut domina Anna nurus ejus, cum ab ea infra missam deberet pacis accipere osculum, oculos ejus quasi cruentatos præ lacrimis et faciem ipsius videret fletibus irrigatam. Frequenter etiam videbat eam in oratione coruscantem, vel niveo vel roseo vultu et quasi in angelicum mutata aspectum præ jubilo in quo erat. Ipsa enim jam dictæ dominæ Annæ intuitum non semper declinare nec omnino subterfugere potuit, quia inter omnes fœminas familiarissima ei fuit et in ecclesia

maxime sibi vicinior assistebat. Unde delectamenta, quæ Christi famula in spirituali habuit gaudio, ipsa domina Anna sæpius perpendebat. Vidit namque jam dicta domina Anna et frater Herbordus confessor ejus eam frequenter ex devotione raptam in tantum mentis excessum, ut insensibilis esset. Dominus etiam Cosmas, honestus miles in ipsius dominæ ministerio sedulus, dicere solitus erat: "Multoties, cum domina mea beata Hedwigis esset in orationibus contigit me venire pro aliquibus negotiis ante ipsam et vidi eam adeo intentam precibus et abstractam a sensibus, quod me stantem coram se non vidit, donec post magnam moram ad se rediret." Surgebat animus ejus a cognitis ad incognita seque de terrenis ad cœlestia transferebat.

[42] [plerumque loca secretiora, etiam] A visibilibus ad invisibilia transiens in pulchris cognoscebat pulcherrimum et in creaturis non sufficebat creatoris magnificentiam admirari. Levabat proinde ad cœlos multoties oculos suos, ut visa stellarum gloria cœlique specie vivacius ad amorem cœlestis patriæ alliceretur mens ejus. Unde factum est, ut quandoque de speculatione siderum et corporum superiorum contemplationis oculum ad summæ majestatis thronum dirigeret divinique splendoris radium tanta plenitudine suscipere intus, ut etiam exterius fieret manifestus, dum corpus ejus, luce clara circumdatum, de terra videretur in aëra sublevatum, secundum quod aliqui notaverunt. Et sic lux illa exterior et visibilis præsentiam lucis æternæ in anima radiantis et sublevatio corporis, sublimationem declarabat mentis in Deum tendentis. Nulli infra divinum officium sui exhibebat copiam ad loquendum, nisi forte in casu inopinato, aut in necessitatis inevitabilis articulo, nimium indecens et indignum existimans, divinis eloquiis humana interserere verba, ubi urgens et rationabilis causa hoc opportune non exigeret, cum utique solatium, quod in Deo habere poterit anima, impediri ab homine permittere homo non debeat Et licet

ista Beata se occultaret diligentius, ne secretum, quod erat ei commune cum Domino, divulgaretur, ne aliquo fieret manifestum aut hominibus innotesceret, per rugitus tamen et suspiria, quæ intra se non poterat continere, vi amoris devicta et devotionis agitata dulcedine, frequentius pandebatur.

[43] [in ecclesiis, quærebat:] Quamvis ad orandum loca desideraret et eligeret secreta quantum decebat pro eo, ut dulcedinem, quam, propinante Domino, consueverat degustare avidius posset absque impedimento haurire, publicum tamen divinum officium nolebat in domo aut in camera sua, ut solent quandoque principes et magnates, audire, sed in ecclesia semper cum nota matutinum, missas, vespervas et alias laudes Dei coram se faciebat solemniter decantari. Dato ergo matutinali signo mox cum juncta sibi familia ad ecclesiam festinavit. Non luto, non nivibus, non frigore, non pluviis nullaque asperitate aut aëris intemperie nec occasione aliqua, nisi forte actu esset infirma, poterat detineri, quin ad ecclesiam pergeret quantumcumque etiam a suo distaret hospicio, pro divino ibidem officio audiendo. Quotquot habere poterat sacerdotes, qui Missas legerent, devotissime interfuit omnibus, orans interim vel toto prostrata corpore aut procumbens super genua vel ulnis appodiata humiliter super terram. Sæpe quoque sic procumbens tunc in orationibus ex devotione humilique corde, deosculando terræ pulverem contingebat. Quicumque ad ejus curiam presbyteri veniebant, sive sæculares essent, sive religiosi, vix umquam evadere poterant, quin eos coram ea Missam legere oporteret. Et si quandoque incuria presbyterorum numerositas defuit, undecumque haberi poterant, vocabantur ad supplendam paucitatem Missarum, quam absque displicentia ipsa non poterat sustinere. Quemadmodum enim capellani et servitiales gravabantur de Missarum multitudine, sic ipsa

gravabatur præ tædio, si earum ei deficeret multitudo. Unde quidam clericus de ipsa composuit istos versus:

*In sola Missa non est contenta ducissa,
Quot sunt presbyteri Missas tot oportet haberi.*

[44] [Missas plurimas devotissime audiebat,] Die quadam, dum desideraret Missis pluribus delectari, capellanum suum Martinum nomine, postea Wratislaviensem canonicum, misit ad vocandum quemcumque presbyterum, ut legeret ei Missam. Ille mandato, cui non decuit eum contradicere, coactus ibat, licet invitus, ut exequeretur mandatum et casu occurrentem sibi calvum quemdam conversum, qui ad curiam ducis tunc pro quodam expediendo negotio venerat, secum assumens dominæ præsentavit. Ipsa vero, ut erat commendandæ simplicitatis, non conversum ex habitu sed tantummodo calvum considerans et putans, eum esse presbyterum, rogavit suppliciter, ut sibi Missam legere dignaretur. Qui cum obstupescens respondisset, quod nec presbyter nec litteris esset imbutus, domina deceptionem advertens petivit ab homine humiliter veniam, ostendens se non animo illudendi, sed per ignorantiam hoc fecisse, capellano quoque cum lenitatis mansuetudine dixit: "Parcat vobis Deus, quod me taliter decepistis." Nam tali cum impatientia solita erat redarguere illos, qui ei molestiam aut verecundiam inferebant, ut jam superius, scilicet in tractatu de ejus patientia est ostensum.

[45] [et sacerdotes summo] Cum quanta devotione ipsa divinis et præcipue celebrationibus Missarum interfuerit ostendunt non solum lacrimæ prostrationesque corporales, ut prædicitur, verum etiam hoc plurima religiosa opera et virtuosa exercitia indicabant. Ad omnes namque Missas, quas audivit, vel personaliter obtulit, vel offertorium suum misit, et ab ipso, qui Missam

legerat, sacerdote petivit manus capiti suo imponi et se de aqua benedicta aspergi, indubitanter credens, per hoc a Deo aliquam specialem percipere gratiam et a suis infirmitatibus relevari, quod etiam sæpius accidit, ut ipsamet sibi familiaribus postmodum propalavit. Frater Herbordus, qui fuerat confessor ejus, de ipsa dicebat: "Quantæ devotionis Beata Hedwigis et fidei fuerit circa officium Missæ atque ad altissimum Sacramentum dominici corporis nullus posset hominum enarrare."

[46] [honore] Considerans autem, presbyteros tantæ dignitatis esse, ut Dominum cœli et terræ in Sacramento tractarent altaris, quodque illa conferrent Sacramenta quotidie, quibus assistente divina virtute fidelis sanctificatur et munditiæ redditur anima, sacerdotes et omnem clerum, sive sæculares essent sive religiosi, in magna reverentia habuit et non modicum honoribus extulit in tantum, ut etiam eos, qui se pro aliquo emolumento sacerdotes fingeant, tamquam veros presbyteros muneribus honorabat. Ad mensam sedere nolebat, nisi prius sacerdos, qui Missam celebraverat, discubisset in ea.

[47] [et fiducia reverebatur:] Coruscationes et tornitrua metuebat quam plurimum, pro eo, quod his elementorum commotionibus novissimæ diei iudicium et gladium ultionis divinæ ad memoriam revocaret, rememoransque tota contremere et quasi tumentes super fluctus cum Beato Job semper Deum timeret. Unde nec a tremore cessavit, donec vocatus aliquis sacerdos adveniens sacras manus pro scuto protectionis dominicæ capiti ejus imposuit. Sub quarum umbraculo, tamquam segura de periculo evadendo, genuflexionibus et orationibus per totum tempestatis spatium insistebat. Tranquillitate vero reddita post intemperiem, pro gratiarum actione dictis manibus oscula ingerebat. Quas ideo potestative credebatur tempestati posse resistere, quia ad hoc, ut iram

Dei reconcilient, sunt sacratæ. Speciali quodam dilectionis affectu movebatur ad illos, quos sciebat diligenter interesse Missarum celebrationibus. Unde nec dubium est, quin eos diligeret amplius, qui parati erant ad ipsas sæpe Missas devotius celebrandas.

[48] [Sanctorum quoque cultrix eximia,] Ad Sacramentum dominici corporis suscipiendum quando volebat accedere tanto lacrimarum facies ejus infundebatur profluvio et tantis orationibus, genuflexionibus corporisque prostrationibus se tunc specialiter exercebat, quod fervor devotionis ipsius ad devotionem non immerito movebat efficaciter intuentes. Sanctorum quamplurimas habebat imagines atque Reliquias, quibus decentem exhibebat reverentiam et eas coram se portari faciebat ad ecclesiam et in loco ubi orabat reponi, ut in earum intuitu, Sanctorum quos amabat merita vivacius revocaret ad memoriam et per ipsorum suffragia se ad devotionis incendium amplius præpararet. Matrem vero Domini inter alios Sanctos, quia majori, ut dignum erat, amplexabatur amore, ideo ipsius parvam semper apud se gerebat imaginem, quam etiam sæpe accipiens in manibus deferebat, ut ex dilectione sæpius eam posset respicere et respiciendo devotius se valeret ad amorem gloriosæ Virginis amplius excitare. De qua imagine dum aliquando benediceret languidos, protinus curabantur, ut sic miraculorum virtute comprobaretur et innotesceret omnibus, ad quantam meritorum celsitudinem illa jam pervenerat, quæ ex fervore caritatis hanc Filii Dei Matris sedule secum imaginem deportabat.

[49] [altaria exornabat:] Passionem quoque Domini nostri Jesu Christi, quanta devotione ejus versaretur in corde, colligi aliquo modo poterit ex eo, quod nec minima signa mysterium crucifixionis Christi repræsentantia venerari neglexit. Nam ubicumque in terra videbat stipulas crucem figurantes, genibus flexis adorans tollensque et

deosculans eas in loco tali reposuit, ubi non poterant conculcari. Decorem domus Dei quia diligebat, ornamenta et paramenta pretiosa ecclesiis et altaribus contulit necnon et vestimenta sacerdotalia ac levitica ministrorumque altaris suis sumptibus comparavit et præparavit hujusmodi, tam per semetipsam, quam per alias fœminas secum manentes, quæ de auro et serico sciebant subtiliter operari. Sic sacra cum aliis, ut prædicatur, frequentabat mysteria, sic divina ministeria promovebat, sic cum fidelibus terebat domus Domini limina, sic cum moderamine præsentibus hominibus conabatur devotionis suæ studium exercere.

[50] [alia ejus] Peractis autem divinis officiis, cunctis qui affuerant tempore congruo ad propria redeuntibus, ut refectio corporis intenderent et de exterioribus providerent, ipsa cum paucis in ecclesia pedisequis remanens, ad interiora capienda convivia et ad spirituales delicias in domo Domini requirendas se diligentius disponebat, cupiens illius divinæ consolationis dulcedine renovato gustu adhuc amplius perfrui, cujus sapore jam aliquoties meruerat dulcorari. Et quia tunc absentibus aliis se solitariam inveniens et pacatam, vacare liberius potuit ac plus intendere valebat diversis modis quærendi dilectum, orando per singula circuibat altaria et pectus tundens gemitus effundebat et suspiria, levatisque in cœlum oculis cum corde simul et manibus stans preces Domino supplices obtulit, in terramque cadens ad pedes Domini Jesu cum Magdalena humiliter se prostravit. Verum licet Salvatoris nostri vestigia corporaliter jam deosculari non posset, loco tamen ipsorum terram deosculabatur sæpissime aut labiis pulverulentum crebro contingebat humiliter pavementum humumque lacrimis irrigabat, ut et dilectionis quo æstuabat nec occultare valebat fervorem, dilecto ostenderet et peccatorum veniam atque abundantio rem gratiam impetraret. Pulverem se recognoscens ac

cinerem, os suum audacter ponebat in pulvere, spem habens et confidentiam, quod dilectus sibi tandem æternæ pacis osculum exhiberet. Propter quod delectata non modicum in hujusmodi prostrationibus, tam diu sæpe jacuit coram Domino protensa in longum, quod ejus corpusculum adeo debile sustinere nullatenus potuisset, nisi fervore devotionis fuisset et fortitudine spiritus Domini confortatum.

[51] [devotionis] Quadam vice soror Gaudentia, curiosius considerare volens ipsius dominæ devotionem et modum orandi, a prandio se absentavit conventus et intrans ecclesiam, vidit eam toto prostratam corpore in oratione tam diu, quod ipsam sic expectando dimidium perfecit psalterium relegendo. Pro majori quoque corporis sui fatigatione et propter divini amoris admirandum fervorem, qui eam semper ad ardua impellebat, quandoque dum orando solotenus prostrata jaceret, pectus et caput erigebat ad librum coram se positum, in quo scriptas orationes legebat. Surgens tandem, multiplicatis genuflexionibus honorabat eum, qui pro nobis flexis genibus est illusus. Numquam in orationibus videbatur sedere, sed postquam aliquantulum steterat, subito resiliens super genua nuda procubuit. Unde calli prominentes et duri ad magnitudinem duorum ovorum aut, ut alii referunt qui viderunt, ad quantitatem duorum pugnorum excreverant in genibus ejus, qui tempore hyemali amplius intumescebant. Occultabat autem pro viribus hunc thesaurum nec cognitus est dum viveret, nisi a paucissimis sibi famulantibus fœminis. His amica Dei caritatis decorata insigniis coram dilecto apparuit, his ornata resplenduit margaritis, hæc amoris indicia, videlicet callos in genibus, scissuras in manibus et pedibus in cæterisque membris livores plagarum semper secum portans, dilecti se obtutibus præsentavit; talibus lætitiæ canticis, his jucunditatis carminibus, suspiriis scilicet et gemitibus, regem demulcebat supremum; hoc

decachordo psalterio, hac dulcissima cythara, devota videlicet psalmodia et intenta supplicatione jugiter amabili sponso canebat; hujusmodi tripudio cordis, his gesticulationibus corporis, genuflexionibus scilicet et prostrationibus, ludebat coram throno Dei et Agni et sic ex omni corde suo Dominum collaudavit.

[52] [testimonia referuntur.] Taliter omni die, etiam vivente adhuc marito, laudes continuavit divinas, ut ab hora matutina perseveraret orans in ecclesia, donec post meridiem, pedissequarum eam expectantium condescendens tædio potius quam suo satisfaciens desiderio, venit ad hospitium ad suscipiendum illud modicum, de quo supra dictum est, corporis alimentum. Dulcedo namque illius superni, cui tota mente inhærebat, convivii adeo cordis ipsius immutaverat gustum, ut eam sapor cibi corporei minime delectaret. Unde quasi quotidie contemplationis suæ intenta ferculis et vino consolationis internæ refecta, vix circa horam vespertinam cibum curabat sumere corporalem. Tam avido desiderio et tanto dilectionis fervore hæc Christi famula ferebatur in Deum, ut non solum se ei conaretur offerre per devotionis incendium, verum etiam alios quoscumque poterat hortaretur ad sibi devote et fideliter serviendum. Et ideo tam per se quam suum ministerialem, quem ad hoc deputaverat, simplices homines, ipsius curiam frequentantes confiteri et orare et illa, quæ ad salutem animarum pertinent, instruebat. Inter alias sibi ministrantes fœminas unam habebat lavandriam mulierem grandævam, omnino dominicæ orationis ignaram, quam ipsamet cum tanta informabat diligentia Pater Noster, quod eam etiam in noctibus a se per decem hebdomadas non dimisit, sed ante lectum suum in cubili, in quo manebat ipsa, eam manere compulit et dormire, ut forsitan verba sacræ orationis, quæ in die sibi inculcaverat, in nocte ipsam quandoque ad ruminandum induceret et sic fortius ea memoriæ commendaret.

Maritum quoque suum, ut sibi cumulare posset continue virtuoso exercitio salutis optimum fructum et præcipue ad devotionis se vigilantiam sollicite excitare, plures docuit orationes. Hoc enim semper habebat in desiderio, ut ipse, quem inter homines maxime diligebat, in Domino etiam Deo suo serviret corde devoto.

Cap. V.

De charitate S. Hedwigis ad proximum.

[Trebnicense monasterium, a marito fundatum,] Donum pietatis et misericordiæ cor ancillæ Christi tanta repleverat copia, ut ad gloriam Dei et Sanctorum ejus atque ad subventionem proximorum affectu pariter et effectu semper promptissima fuerit. Verbum quoque illud Salvatoris nostri a: "Estote misericordes," scriptum in corde suo indelebiter tenuit ac diligenter opere adimplevit. Ingenitiam hæc generosa propago habebat clementiam, quam adauxit pietas Jesu Christi, cujus gratia instigante, studebat, quæcumque poterat manus ejus instanter operari in operibus bonis, quæ vero per semetipsam nequibat perficere, aliorum invocato auxilio peragebat. Inter cætera misericordiæ opera maximæ pietatis opus reputabat, animarum promovere salutem et ideo maritum suis consiliis et hortationibus suis induxit, quod de propriis sumptibus construi fecit Trebnicense monasterium sanctimonialium Ordinis Cisterciensis. Cujus ædificationis expense, secundum quod a procuratoribus operis est compertum, ascenderunt usque ad marcas triginta circiter millia. Nam soli parietes præter tectum, quod per totum clastrum de plumbo confectum usque hodie permanet, marcas constitisse XX milia æstimantur. Fundatum est autem prædictum templum et clastrum ad honorem Omnipotentis Dei et gloriosæ Virginis Mariæ atque Beati Bartholomæi Apostoli anno Domini millesimo ducentesimo tertio, dedicatum vero anno Domini M.

ducentesimo decimo nono. Constructo quoque monasterio ipse dux Henricus ad ipsius consortis suæ sanctæ consilium dotavit et ditavit illud copiosis redditibus, qui sufficerent ad omnes sumptus necessarios mille personis et hospitalitati continuæ, sua volens promereri elemosyna et dignus cupiens fieri audire vocem Domini dicentis in extremo examine: "Hospes fui et collegistis me".

[54] [Sancta de suo quoque dotat,] Ipsa etiam Beata Hedwigis contulit eidem monasterio bona dotalicii sui Savon scilicet cum villis adjacentibus mansos circiter quadringentos de optima gleba. De Babenbergensi autem civitate et diœcesi vocavit dominas Ordinis Cisterciensis, quas locavit in claustro prædicto. In quo tempore procedente, inclusæ ad serviendum Domino centum dominæ morabantur, immo in eodem hodie dicuntur centum viginti dominæ commorari. Prima quoque ibidem abbatissa fuit domina Petrissa, magistra pueritiæ ipsius Beatæ Hedwigis, quam cum præfati Ordinis de Babenberch advocaverat dominabus. Et licet ipsis sororibus sufficientissime provisum esset in his, quæ ad victum et vestitum atque divinum cultum eis necessaria erant, non quievit tamen in ea pietatis affectus, quin superadderet multa et eis in hujusmodi necessitatibus provideret, præcipue cum reputabat, eas in talibus aliquando sustinere defectum, quibus indigebant ad usum. Quibusdam aliis religiosis de Ordine Templariorum impetravit a marito donari quædam magna prædia, quæ Olsnicz vocantur in optimo terræ solo ubi, procedente tempore, multæ sunt et magnæ villæ locatæ. Religiosis ipsa multa impendebat beneficia et eos quamplurimum honorabat, volens honore, quo eos propter Christum extulit apud semetipsam, etiam honorabiles facere in oculis aliorum. Nam dum veniebant ad eam, ipsa eis assurgens et gratanter eos suscipiens apud se in mensa locabat. Et ut bonam famam ipsorum conservaret a detractoribus, non solum coram se ipsos faciebat

honorifice pertractari, sed eis etiam de honestis, quam diu morari volebant, hospitiis et ministris ac sociis providebat mittebatque ipsis necessaria omnia et ipsorum apud ducem diligenter promovebat negotia et citius expedivit. Dum vero volebant abire, in saccis eorum faciebat clam reponi panes, pisces et alia religiosorum cibaria, ut haberent ad edendum in via. Ubi etiam eos stetisse conspexerat, ibi post eorum dicessum veluti ad vestigia Christi genua flectens, Deum, quem in eis susceperat, veneravit.

[55] [in alia etiam monasteria munificas] Ad diversa insuper monasteria largas dabat et trans mittebat eleemosynas, utpote in Lubes, Henrichow, Wratislaviæ ad Sanctum Vincentium, ad Sanctam Mariam, Minoribus et Prædicatoribus Fratribus multis quoque aliis hominibus, qui in habitu religioso signum deferebant Jesu Christi necnon et quam pluribus miserabilibus personis non cessabat benefacere, tamquam si euangelicum illud: "quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis" et cætera, semper coram oculis suis positum legeret ac opere adimpleret. Heremitas aut inclusas, ubicumque sciebat aut attingere poterat, personaliter consolari studebat beneficiis, distantes vero per nuntios in vestibus et esculentis ac aliis necessitatibus procurabat. Leprosorum curam habuit specialem pro amore illius, qui pro nobis fieri voluit ut leprosus. Unde leprosas quasdam fœminas insimul habitantes prope oppidum, quod dicitur Novum Forum sic in suam receperat curam, ut eis aliquoties in hebdomada mitteret pecunias, carnes et ferinas ac in vestibus et aliis vitæ necessariis largiter providebat eisdem, procurabatque ipsas in omnibus tamquam filias speciales.

[56] [pauperes, infirmos, incarceratos,] Mira compassionis teneritudine condescendebat afflictis qualicumque molestia corporali, liquescebatque animus

ejus ad pauperes et infirmos, quibus et affectum exhibebat et manum auxilii. Si quem defectum, si quid penuriæ in aliquo cerneret, supplebat dulcedine pii cordis. Circuibat proinde, suis dormientibus pedissequis in ancillis, et earum circumspiciebat diligentius calceamenta, et si aliquam in eis inveniebat fracturam, dissimulationem earum redarguens, celerius emendari jubebat. Dum soror aliqua in monasterio decumbebat, personaliter singulis diebus veniebat ad lectulum ejus flexisque coram ea genibus ipsam verbis consolatoriis confortabat, dans ei semper aliqua subsidia opportuna. Numquam enim ab aliquo recedebat infirmo, nisi prius, oblato munere, ipsum consolata fuisset. Ægrotos quoque de familia in sua in propria visitabat persona et ad eos mittebat medicos et eis medicamina procurabat, eratque de ipsis sollicita, tamquam mater. Illius dominicæ allocutionis allecta dulcedine: "Infirmus fui et visitastis me" nullum quem percipere poterat infirmum, et maxime pauperem, dummodo adesset possibilitas, visitare neglexit. Eundo etiam in via ad remotiora loca, si intellexit infirmum, ad eum, neglecto itinere, accedebat. Ad infirmos autem, quos propter distantiam nimiam visitare non poterat, nuntios cum donariis trans mittebat, et quanto quis inter infirmos erat miserabilior, tanto per eam percipiebat consolationis beneficia ampliora. Fæminas jacentes in puerperio, præcipue pauperes, visitabat, dum hoc aliquo modo facere poterat, ipsisque necessaria ministrabat. Incarceratos, etsi in propria persona visitare non potuit, eos tamen magnis visitare beneficiis non neglexit. Inflammata namque desiderio audiendi vocem Domini, dicentis in judicio: "In carcere fuit et venistis ad me" o ex quo per se non valebat ad ipsos accedere, eis per suos trans mittebat nuntios esculentum et poculentum atque tegumentum sufficiens, ne a frigore læderentur. Et ne nimis gravarentur a vermibus de mutatoriis et in vestibus lineis sufficienter eis providit ac de candelis, ut beneficio luminis horrores sibi

minuerent et tenebras carcerales, præcavens omni, qua poterat diligentia, ne aliquo ex defectu ipsis posset periculum imminere.

[57] [imo inimicos juvat;] Ascendit quoque famula Domini gradum perfectionis majoris in scala præcipue caritatis, dum etiam hostes et adversarios mariti sui, quos aliquando contigit in carceribus poni, prædictorum non sinebat beneficiorum esse expertes, sed eis omnia largiter necessaria ministrabat, adimplens opere illud, quod scriptum est: "Si esurierit inimicus, tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi". Post omnia autem, quæ clausis in carceribus aut alias captivatis impendit beneficia, hoc superaddidit, ut eos sæpissime suis intercessionibus liberaret a vinculis et restitueret solatio libertatis. Similiter illos, qui ducis mariti sui indignationem incurrerant, non cessabat ipsius ad gratiam revocare. Nam flexis genibus et fuis lacrimis, tam diu se coram eo humilians interpellabat pro ipsis, donec se intelligeret exauditam. Tribulatis et afflictis, si quo modo possibilitas aderat, efficaciter succurrebat. Numquam in consolatione plorantibus defuit, nec umquam auxilium egentibus opportunum subtraxit. Illos namque, qui pro debitis gravabantur, aut detinebantur inclusi, ac oppressos ære alieno, sua redimebat atque relevabat pecunia, damnatos quoque ad mortem aut affligendos aliis generibus tormentorum pro suis demeritis, intercessione sua sæpius eruebat.

[58] Mater erat omnium pauperum et præcipue viduarum atque orphanorum fuit maxima consolatrix. Quorum causas et negotia, dum esset necesse, coram duce promovebat, et agebat pro ipsis, ut fidelissima advocata. Plures quoque puellas, orbatas parentibus et amicis apud se collectas, pio pertractabat miserationis affectu et refovebat in Christo, singulis providens, prout ei secundum Deum videbatur melius expedire, eas aut

matrimonio aut religioni tradendo. Pauperes ergo, quia continue ipsius beneficia sentiebant, eam, quocumque ibat, sequebantur ut matrem, semper enim in ecclesia coram ea jacebat cumulus denariorum, qui distribuebantur egenis et ipsa sæpius eos manu propria pauperibus erogabat. Non præsumebat aliquis de familia, post eam currentes repellere inopes, quamvis ipsorum nimia multitudine fatigati, sæpe afficerentur tædio satis magno multi ejus ministerio inhærentes.

[59] [aliis pauperibus præsertim clericis large subveniens,] De quadam, dum ipsa coram altari, quod erectum in sua habuit camera, faceret moram orando, mendici, foris more solito pro accipienda eleemosyna expectantes, clamabant, dicentes: "Hodie domina est a nobis abscondita, hodie consolatrix pauperum nobis non exhibuit vultum suum, quia nondum percepimus ipsius beneficium." Quod ei mox una de familiaribus ejus, ut audierat, recitavit. At illa statim narranti sibi dicebat: "Vade velociter, accipe pixidem, in qua sunt pro pauperibus nummi repositi et da unicuique, prout tibi Dominus inspirabit." Sic enim per alios eleemosynam dispensare consueverat, quandocumque personaliter eam distribuere non valebat, et ideo se de negligentia reprehendit, quod hanc dispensationem tunc committere prætermisit. Egentibus clericis, tamquam divino cultui amplius mancipatis et per vitæ munditiam præ aliis popularibus ad Christum plus appropinquare debentibus, multa specialiter beneficia impendebat. Quapropter ad loca quandoque remotiora sequentes veniebant ad ipsam. De Wratislavia namque usque in Rochetnicz ad tredecim fere milliaria transeuntes reportaverunt ab ea in argento et vestibus munera et alia vitæ necessaria receperunt. Dominus Razlaus, presbyter et homo maturus, Gneznensis et Wladislaviensis canonicus, testis existens operum pietatis jam dictæ beatæ Hedwigis, se ipsum ponens in exemplum dicebat: "Pauper scholaris eram,

Wratislaviæ studens, et auditis beneficiis, quæ pro Dei amore indigentibus præstabat, dum viveret Christi famula, post ipsam ivi cum sociis ad loca, ubi manebat in Lesnicz atque Rokethnicz tribus vicibus, totiesque ego et alii, qui mecum advenerant socii, dimidio fertone argenti accepto, ab ipsa reversi fuimus consolati et semper in curia ejus inveni, quotiescumque intravi, multitudinem pauperum copiosam." Ad limina Sanctorum ire volentibus et cruce signatis aliisque peregrinis larga ministrabat subsidia, ut ipsos promovendo in via salutis æternæ eorum mereretur particeps fieri meritorum.

[60] [vix centesimam reddituum suorum partem] Vix umquam ab eo eleemosynam petens inexauditus recessit. Nam, ut magister Hermannus, canonicus Glogoviensis et in Suidenicz plebanus, dicebat, ipsa de copiosis quos habebat redditibus vix centesimam partem pro sua suæque familiæ necessitate retinuit, reliqua omnia ad ecclesiarum utilitatem ac in usus pauperum erogavit. Et dum sua in opere pietatis expensa deficerent, ad suum recurrebat maritum, postulans, ut ministrando egenis necessaria, ejus vices suppleret. Quamdã magnam habuit grangiam de quatuor aratris, quæ Zeuina vocabatur, ex qua annona plurima et hujusmodi, quæ ad victum pertinent, habebantur abunde. Superveniente autem tempore quodam, gravi caristia, ipsa Dei famula proclamari fecit per fora, ut omnes indigentes ad dictam accederent grangiam, qui accipere vellent eleemosynam propter Deum. Congregatis ergo illic egenis in non modico numero, eis distribui fecit annonas, prout unicuique sufficiebat ad sustentationem naturæ. Deficiente vero annona omnes, quæ ibi habebantur carnes in eis expendit. Consumptis quoque carnibus, eis caseos dari jussit, et iis deficientibus arvinas et sal ad condienda olera tribuit et quæcumque alia ad edendum apta inveniri et haberi poterant eis dedit. Sic fidelis dispensatrix et prudens familiæ Domini dabat cibum in

tempore opportuno. Hanc autem et ipsa observavit et maritum suum servare docuit regulam, ut dum pluribus simul beneficeret æqualitati operam daret, ne occasione beneficii inæqualiter dispensati, inter accipientes germen invidiæ nasceretur.

[61] [sibi reservat, omnibus, quoad potest] Habebat quoque hæc Dei famula speciales in curia sua infirmos pauperes numero XIII, quos ob memoriam Christi et XII Apostolorum ejus, cum iret de loco ad locum, deduci jubebat in curribus, et illis, dum pervenisset ad hospitium, primo providebat de commodo eosque semper coram se faciebat discumbere et antequam resideret ad mensam, illis transiens ministrabat, singulis præponens flexis genibus alimentum. Postmodum vero residens ad manducandum, ipsa quidem aridis contenta cibariis, optimas scutellas cum carnibus et aliis sapidioribus cibis sibi oblatis ipsis et aliis pauperibus dividebat. Dicebant quapropter quandoque hæc videntes pueri nobilium, filii principis curiales, quod vellent potius fore mendici reficiendi de ferculis dominæ, quam in mensa principis manducare. Potum similiter sibi optimum propinatum eis mittebat. Dum vero capellani vel alii familiares indignarentur quandoque et dicerent: "Domina, coram vobis dimittite potum stare qui vobis præponitur, quia pauperibus, ut expedit, providetur," ipsa respondit: "Ideo meum eis poculum offero, quia scio, quod ipsis non dabitur de tam bono." Omnia, quæ coram se habuit, etiam si unicum erat pomum, cum pauperibus dividebat. Tanto quoque affectu movebatur ad ipsos pauperes, quod si decuisset et fieri potuisset absque derogantium murmure, cum unoquoque ipsorum de scutella libentissime comedisset. Pro illa autem egenorum multitudine, quæ ante mensam ipsius locata non fuerat, specialem habebat coquinam et ministros pro ipsis specialiter deputatos, quibus mane et vespere, secundum exigentiam temporis, victui necessaria præbebantur.

[62] [benefaciens] Ecce Dei famula, quam vere pauper extitit spiritu, quæ inter copias mundanarum rerum et in epularum deliciis sic egere voluit propter Christum, ut esuriret et sitiret ac in frigoribus nuda esset. Magnum tamen sibi reputabat convivium, dum laute reficiebat viscera pauperum, incalescebatque amplius per amorem divinum, dum contegeret vestibus corpora egenorum. Ista est ergo fortis illa mulier, quæ manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperes, quæ utique pro tanto pietatis officio ridebit in die novissimo. Præterea felix ista fœmina, Domino dicente in Evangelio: "Date et dabitur vobis, dimittite et dimittimini," per omnia parere desiderans, non solum dabat et expendebat in usus pios, quæ habuit, sed etiam liberaliter, quæ sibi a suis subditis debebantur, dimisit. Nam tributariis suis debitorum relaxationem maximam faciebat in tantum, ut quidam de capellanis suis, Otto nomine, exclamaret quadam vice ea præsentem et diceret: "Domina! vos tanta vestris rusticis relaxatis, quod nos vobis servientes non habemus unde sustentare possimus." At illa de pio corde respondit: "Nolite timere, Deus vobis bene poterit providere." Et quia vel omnino nihil vel adeo modicum recipiebat a suis censualibus, scriptoree ejus dicebant ironice: "nihil habebimus de bonis dominæ nostræ, nisi hoc, quod ipsa relaxat."

[63] [in omni humilitate.] Dum aliqui per iudices suos puniti fuissent pro excessibus suis pœna pecuniaria, quasi totaliter relaxavit, ita quod aliquando una die de hujusmodi mulcta circiter XXX marcas remisit hominibus suis de Savon et Javor. Cum autem censuales suos et pauperes alios non posset aliter iudicum aliorumque ministerialium invasionibus liberare, propria vexationes eorum pecunia redimebat. Notarium habebat virum prudentem et honestum, dominum Ludolphum, quem sæpe rogavit cum lacrymis, ut cum hominibus misericorditer ageret nec importune exigendo debitas

pensiones eos gravaret. Ne autem per iudices suos homines nimium angariari contingeret, ipsa iudiciis sæpe voluit personaliter interesse et tunc non per camerarium aut per iudicem suum, sed per aliquem de capellanis faciebat iudicium exerceri, ut sic pauperes mansuetius tractarentur. Quid plura? Fons iste pietatis adeo erat communis et suæ dulcedinis diffusivus, ut omnis qui appropinquaret ei, potitus suavitate ipsius recederet consolatus. Cunctis enim ad ipsam recurrentibus, si quandoque secundum affectum cordis non valebat effectum impendere operis, ad Omnipotentis gratiam se convertens, divino impetrabat miraculo fieri, quod pia hominum circa se affectabant desideria consummari, ut ex aliquibus, quæ jam sequuntur patebit.

Cap. VI.

De miraculis S. Hedwigis in ejus vita.

[Plura miracula vivens perpetrat:] Animam istius dilectæ et electæ Dei, quia Salvatoris clementia tanta repleverat gratia, ut devotione continua sursum ageretur in Deum, et pietate benefica incessanter moveretur ad proximum, adhuc ea in mortali corpore existente, quædam indicia et signa exteriora manifestam fecerunt illam familiaritatem et amicitie gratiam, qua Domino iungebatur, nam ob amorem ipsius et merita Deus faciebat miraculosa quædam et mirabilia opera. Plura quoque ab oculis et a cordibus abscondita viventium, sibi divinitus antequam fierent, pandebantur, ut sic, per signa et prodigia pollens virtute apostolica et per revelationem eventuum futurorum actuumque occultorum spiritu prophetico esse repleta certissime probaretur.

[65] [monialem ab osse piscis liberat;] Domina Razlaua, sanctimonialis in monasterio Trebnicensi, familiaris erat Beatæ Hedwigi, nec inmerito, quia ipsa eam a pueritia

educaverat et locaverat in prædicto monasterio, cujus procedente tempore custos, deinde in claustro, cui vocabulum est Ouenzko, extitit abbatissa. Hæc dum die quadam ad vescendum resideret in mensa Beatæ Hedwigis, os piscis, de quo tunc edebat, gutturi ejus adeo firmiter inhærebat, quod nec glutiendo nec ejiciendo valebat ab eo absolvi. Unde non modicum cruciata tandem surrexit a mensa, ut si forte in sequestro vomitum provocando posset os ejicere, de quo diutius inhærente sibi sentiebat periculum imminere. Sed dum tali conatu nihil omnino proficeret, nec relevamen sentiret, necessitate cogente ad dominam, adhuc in mensa sedentem, cum fiducia rediit et ei audacter dolorem, quem ab ea prius forsitan præ verecundia occultaverat, indicavit, sperans ipsius meritis liberari. Cujus dolori ex solita pietate compatiens ipsam in Dei nomine benedixit, et ecce, mox signo Crucis edito, cælestis medicus affuit et signantis merito et patientis fidei correspondens, sororem eruit a tormento simul et a mortis periculo, ita quod sororibus, quæ aderant, Victoria scilicet et Wencezlava in Trebnicz postmodum priorissa, quæ tunc dominæ legebat ad mensam, cernentibus, dicta soror Razlava, os guttur atrocius stringens, omnino expuit cruentatum.

[66] [duarum oculos] Jam dicta domina soror Razlava, multum deflendo fratrem suum germanum defunctum, in oculo contraxerat quamdam visus impeditivam albuginem sibi que non modicum tædiosam. Tali ergo sarcinata gravamine satis prudenter de relevamine cogitavit. Nam ad suam recurrens mox dominam, ei, cujus beneficio erat in claustro, impedimentum exposuit oculi, quo retardari poterat in servitio Jesu Christi, cui per eam fuerat mancipata. Quod illa, pietate et fide plena, dum vidit, dicebat: "Vade, accipe Psalterium meum et cum ipso signum Crucis facito super oculum tuum macula obumbratum et sanaberis." Obedivit soror mandanti, credens verbo dominæ, sciens scriptum esse: Quod omnia

possibilia sunt credenti, acceptoque Psalterio, ut jussa fuerat, signum Crucis expressit et statim albuginem, qua gravabatur, evasit.

[67] [curat;] Alia quædam soror de Trebnicensi monasterio, Gaudentia nomine, ex fletu in utroque oculo incurrerat tam gravem albuginem, quod eam multis medicaminibus adhibitis repellere non valebat. Unum namque oculorum ejus macula per totum obtexerat ita, quod nil de ipso videre valebat, in alterius vero pupilla oculi pars remanserat aliqua albugine non obducta. De illo ergo aliquid videre poterat oculo, sed adeo diminute, ut homines plene non posset agnoscere. Cui Juliana, soror ejusdem monasterii, volens ex caritate succurrere medicina, colirium, quod multis similem oculorum infectionem habentibus profuerat, in oculos ejus misit, sed nihil in eis profecit. Quamobrem prudenti usa consilio, cum sibi humano videret non posse subveniri auxilio, ad opem divinam se contulit et per Beatæ Hedwigis merita sanitatem se consequi sperans, circuivit, dum solitarium esset monasterium, quærens et illo cæcutienti oculo diligenter considerans notavit locum, ubi quodam in angulo ecclesiæ ipsa Beata Hedwigis orare consuevit. Et explorans temporum vices venit, quando sola erat domina, surgentique ab oratione procedit ante pedes, rogans suppliciter, ut signaculo Crucis ipsius oculos consignaret infectos. Ipsa vero hæc videns et audiens a se peti, quod sanctitatis erat indicium ac declarativum divinæ virtutis suaque superexcelleret merita, ex humilitate obstupuit et facere recusavit, dicens sorori, petenti: "Deus tibi parcat, quia cum ego sim homo et testa lutea fragilis, rem a me summæ postulas potestatis. Desine ergo, nam frustra niteris sic quærendo beneficium sanitatis, quod per me a Deo obtinere non poteris." Instabat nihilominus soror, ut ipsi benedictionem desideratam tribueret, nec destitit, donec illa, pertinaciæ nescia et contentionis ignara, pietate devicta, super eam

signum Crucis faceret dicens: "Te, soror carissima, Dominus benedicat." Et sic, quod auditu valde mirabile est, fugata caliginosa, quæ per decem hebdomadas oculos ipsius occupaverat macula, visum mox clarum recepit.

[68] [mulierem a cæcitate tiberat;] Quodam tempore dum esset in Rokethnitz et ibidem orando in ecclesia more solito faceret moram, una de pedissequis ejus, nomine Catharina, pro alleviatione fatigationis ex diutina expectatione contractæ vel alterius causa necessitatis, suum perrexit ad hospitium, horaque competenti ad associandum dominam rediit. Reversa vero invenit duas mulieres Teutonicas apud ipsam, quarum unam diu noverat et cæcam fuisse sciebat, tunc autem jam vidit videntem et audivit manifeste gratias referentem Deo et famulæ Dei dominæ Hedwigi, quia lumen oculorum ejus meritis procul dubio recepisset, et ideo tamquam Sancta merito esset ab omnibus veneranda. Ad vocem hujus mulieris erubuit domina dolensque, tantum thesaurum sic poni in publicum, quem summo conamine semper nitebatur abscondere, fœminæ, divulganti sanctitatis ejus præconia, dixit: "Non ego, sed Dominus illuminavit te et fecit videre." Et fugit quantum potuit a facie verborum ipsius, ostendens, se in illis sermonibus commendatitiis nullatenus delectari, illa tamen sanctitatem ejus extollere vocibus non cessabat. Advertens autem Beata Hedwigis, quod prohibitione simplici eam non posset ab hac commendatione compescere, cogitavit, si forte muneribus quietari valeret, et effundens de pixide nummos pro pauperibus repositos, dedit ei. Quos illa suscipiens, de oculorum lumine simul et de munere gaudens abscessit. Tali ergo et novo hoc miraculo domum majestatis suæ, quam hæc beata frequentavit tam fervide et habitavit tam sedule, Dominus honoravit.

[69] [duos jam suspensos] Pauper quidam furatus fuerat suo vicino pernam porci, id est dimidium bachonem, et captus in ipso furto ductusque coram duce, ipsius Sanctæ marito, jussus est absque mora puniri suspendio. Consanguinei vero suspendendi furis, recolentes dominæ Hedwigis ducissæ pietatem fore magnam ad miseros, venientesque coram ipsa rogabant, ut pro vita occidendi intercedere dignaretur. Ipsa supplicantium preces audiens et exaudiens, virum supplex adiit, postulans ne pro re tam modica auferretur homini vita. Cui cum maritus responderet, quod eum jam suspensum crederet, si autem viveret ipsum ei donaret, statim militem quemdam, nomine Henricum Cattum misit, ut hominem liberaret. Qui velociter pergens et ipsum jam in ligno pendentem reperiens, evaginato gladio funem præcidit et sic sanus qui suspensus fuerat, ad dominam venit ejusque procidit ante pedes, gratiarum ei pro sua liberatione referens actiones. Hoc protestatus fuit in curia Romana coram examinadoribus dominus Nicolaus de Wirbina, qui de familia ipsius dominæ fuerat, præsens quoque erat, quando domina præfatum militem misit et quando fur de patibulo in sanitate reversus dominæ grates egit.

[70] [a morte vindicat;] Prædicto miraculo simile notatum in scriptis quibusdam inveni, quod ideo pono, quia aliud esse puto ex iis quæ narrantur ibidem. Quidam facinorosus, publicus hostis ducis, et terræ adversarius proscriptus tandemque fuit detentus. Quem dux in carcerem trahi jussit propter noctis tenebras imminentes, ita ut, dilatione remota, mane diei sequentis morte debita plecteretur, antequam ejus detentio, fama prodente, ad ipsius dominæ Hedwigis conjugis suæ notitiam deveniret. Volebat namque dux taliter festinando cavere, ne ipsa malefactorem suis intercessionibus more solito liberaret. Executores mandatum ducis eo celerius perficiunt, quo ejus voluntatem plenius de agendis agnoscunt, et illum, dum illuxisset dies, suspensum reliquentes in patibulo ad

propria revertuntur. Dum autem Dei famula tarde, ut consueverat, rediret ab ecclesia, dux obviam ei venit. At illa, quæ factum jam agnoverat, eum primo de crudelitate redarguit, postmodum suppliciter exoravit, ut sibi donaret hominem, mortis sententia jam damnatum. Ipse vero, præsumens maleficum utique mortuum, utpote diluculo jugulatum, protracto aliquamdiu exauditionis solatio tandem dixit: "Istum, ut alios tibi dono." Accito ergo procuratore suo ei diligentius recommisit, ut velociter ad locum supplicii pergeret et hominem revocatum sibi incolumen præsentaret. Minister vero, dum allegaret ex opposito, quod frustra contingeret laborem impendi in hoc exequendo mandato, nisi forte cadaver defuncti sibi vellet adduci, præsertim cum mane malefactor suspensus, procul dubio jam foret extinctus, imperantis nihilominus prævalebat auctoritas. Cui contraire quia non licuit, execrabile funus adducere cogitavit, ut sic dominam quasi de præcepto supervacuo subsannaret, et juncto curru pergens perveniensque ad patibulatum, funem, in quo pendeat miser pro demerito, amputavit, et ipsum quem credebat exanimem, reperiens vivum, cum stupore multorum, qui ejus tormento interfuerant, sine læsura ad præsentiam dominæ deducebat. Nulli dubium, quin divina potentia prædictos maleficos inter torquentium manus ideo a morte præservaverit, ut et famulæ suæ fidelibus ostenderet merita et ipsis peccatoribus propter intercedentis justitiam tempus concederet pro pœnitentia peragenda. Ex tunc mandavit princeps, ut ubicumque ipsa de cætero pertransiret custodias publicas, illico aperirentur carceres atque ergastula, vinctique ob ipsius reverentiam a captivitate et a vinculis eruti gauderent restituti plenariæ libertati.

[71] [mulieris manum sanat;] Mulier quædam prope Leen, dum die dominico far suum in mola, quæ vulgariter Quirna dicitur, moleret, ultione divina baculus, quo molam trahebat, manu ejus adhæsit adeo fortiter, quod etiam sui

auxilio viri eam non valuit remove. Cum ergo ei omne juvamen deficeret et consilium, vir prædictus lignum tam subtus quam supra manum fœminæ amputavit, eamque duxit ad famulam Dei, exponens sibi totaliter quod acciderat et ostendit per partem baculi, quam mulier tenebat indissolubiliter manui adhærentem, casus, quem ei exposuit, veritatem. Ipsa ergo clementer illam consolans, in secreto pro ipsa orationem obtulit Domino et accedens manum ipsius aperuit et a ligno, quo irretita fuerat, liberavit, rogans et committens eidem, ne factum aliquo modo faceret manifestum. Sed latere non potuit, quod Deus ad suam gloriam noluit occultari.

[72] [codicem suum ab igne illæsum servat.] Occurrit et aliud miraculum, quod puto non esse tegendum silentio, sed magis ad Dei, qui operatus est, gloriam revelandum. Accidit quadam nocte, ut ipsa Beata Hedwigis ex vigiliis et orationibus fatigata somni violentia fuisset oppressa, et ecce lumen quod accensum prope librum ad legendum tenuerat vigilans, dormitantis lapsum de manibus cecidit ardens totaliter super librum. Audite mirabile! Candela libro inhærens ardebat et consumebatur ad totius libri longitudinem, nec tamen consumebat neque corrumpebat volumen. Quod a Demundi familiari dominæ et ab aliis compertum pedissequis, postmodum devenit ad notitiam aliorum, ut vere cunctis ostendatur laudabilis Dominus majestatis, qui miranda potentia custodivit illæsum ab igne devotæ suæ famulæ codicem, sicut quondam incombustum conservavit rubum ardentem. Pluribus quoque aliis operibus gloriosis mirificavit Dominus hanc Sanctam suam in vita ipsius, de quibus supra jam aliqua sunt expressa, videlicet quod aqua in vinum mutata fuit, et quod coram marito subito calceata apparuit, ut scribitur in tractatu de austeritate vitæ ipsius (cap. IV.), item quod lux cœlica ministerialem ipsius exterruit et quod imagine Beatæ Virginis multos curavit (cap. V.) g, ut in tractatu de oratione ejus est positum.

[73] [Varia prædicit,] Quia vero non solum operatione mirifica, verum etiam cognitione præclara valde admirabilis exstitit ista Sancta dum viveret, ideo post miracula, quæ perpetravit in vita sua hæc Christi famula, non immerito explicantur aliqua, in quibus habuisse revelationis et prophetiæ spiritum declaratur. Irradiata namque luce superni luminis, limpido mentis cernebat intuitu, quæ tamen corporeis oculis non videbat, multa quoque, post longa tempora perficienda, cælestis lucis beneficio cognoscebat. Quorum quædam, dum prædiceret et, ut prædixerat, evenirent, convertebantur mentes audientium in stuporem, admirantes in famula Dei gratiam donorum sibi divinitus collatorum. Cæpit quoque satis tempestive veri luminis claritas in ipsa splendescere, ita ut a sua juventute usque in senectam et senium ad suorumque completionem dierum prænosset multos ac prædiceret futuros eventus.

[74] [mortalitatem hominum,] Quodam enim tempore, dum adhuc juvenis esset, in die natalis Domini, venit, qui diceret coram ea sedente in mensa, quod arbor una cerasus, stans in horto, recentibus esset floribus decorata. Quod audiens misit ad considerandum, si prædicti flores in inferiori aut in superiori parte arboris pullularent. Qui missus fuerat renuntiavit, arborem in ramis inferioribus florescentem. At illa: "Signum est, inquit, mortalitatis futuræ, multi enim pauperes morientur homines isto anno." Et sic, ut prædixerat, omnino evenit.

[75] [mariti et pedissequæ mortem,] Consortem suum præmonuit, ut de castro Legenicensi non exiret, sed in ipso diutius faceret mansionem et sciret prænoscingens, quod quam cito de ipso recederet, non diu subsisteret in hac vita. At ille credulus verbis ejus mansit triennio in eodem. Tandem abinde recedens et usque in Lesnicz perveniens ibidem decubuit migravitque de hoc sæculo infra dies octo anno domini millesimo CCXXXVII, sepultus

in monasterio Trebnicensi. Erat quædam fœmina nomina Catharina natione Pruthena, sed per ipsam Dei famulam de sacro levata baptismate et nutrita junctaque matrimonialiter honesto viro, nomine Boguzlao de Sauon. Huic fœminæ, quia ipsa specialiter extitit famularis, multa prædicebat futura et etiam ea, quæ ipsa Catharina in suis revolvebat cogitationibus ei sæpius declarabat. Unde semel ei aliqua cogitanti de vita præsentis, suspirans respondit dicendo: "O Catharina! cur frustra de præsentibus occuparis, cum sis subito moritura?" Quo audito expavit mulier et timor irruit super eam, sciens quod verbum in ore ipsius dominæ utique verum esset. Videns ergo eam sic vehementer turbatam dicebat: "Noli Catharina tristari, quia tu quidem morieris, sed iterum revivisces et hoc tibi signum. Ecce concipies et paries filiam, quæ morietur et tu post eam decedes." Mulier hæc nondum gravida erat, sed, procedente tempore, nata filia, ut ei prædictum fuerat, est defuncta, ipsa quoque mater oppressa ægritudine valida per triduum pro mortua tenebatur. Non autem est tradita sepulturæ pro eo, quod valde modicum in ea videbatur de vitali spiritu remansisse, unde nec ignem, corpori ejus pro experimento vitæ appositum, sentiebat. Tandem restituta fuit, ut pie creditur, per merita Beatæ Hedwigis pristinæ sanitati, ut in hoc manifestaretur et propheticus spiritus, quem Beata in se habuit et virtus divina, quæ meritis ipsius assistens, vitam sibi devotæ et familiari fœminæ reparavit. Habuit quoque Beata Hedwigis procuratricem sibi multum familiarem et gratam, quæ Demundis proprio nomine vocabatur. De hac in absentia ejus, sed præsentis Catharina prædicta, cum magna compassione dicebat: "Demundis ex hac vita odiosa morte decedet." Tristem, proh dolor! prophetiam lugubris comprobavit eventus. Nam post felicem transitum Sanctæ aliquot annis fœmina supervixit, sed tandem morte subitanea ex hac vita migravit.

[76] [filii sui occisionem,] Triennio antequam occideretur dux Henricus, filius Beatæ Hedwigis, ipsa mater cuidam sorori Cisterciensis Ordinis in Trebnitz, Adelheydi nomine, dixit: "Sis memor filii mei, quia ex hoc mundo, more in lecto decumbentium, non transibit." Cui dum soror stupens ac territa responderet, inquires: "Absit domina, unicus vobis est, ideo timetis ne forte sic ei eveniat, abjicite hunc timorem;" e contrario ipsa dicebat: "Non timeo, sed certissime scio, quod occisione occumbet." A quibus autem esset occidendus subticuit hac putatur de causa, ne forte si Tartarorum præconizasset adventum, homines nimium territi aut pusillanimes effecti ad fugæ convolassent præsidium ante tempus. Annis autem tribus completis, ut prædixerat, Tartarica rabies partes Slesię invadens in tantum prævaluit, ut ipsa domina Hedwigis cum filia sua et uxore filii sui, domina Anna, pro vitando periculo se ad castrum, cui Crozna vocabulum est, transferret. Et dum moraretur ibidem, quadam nocte vocata secretaria sua, proprio nomine dixit ei: "Demundis! scire debes, quod jam amisi filium meum. Unicus filius meus, quemadmodum avicula velociter fugiens a me recessit, ipsum in hac vita de cætero non videbo." Collecto namque exercitu idem filius, qui patris successor in dominio erat, Tartaris processerat obviam ad bellandum cum ipsis, fuitque in eodem prælio interremptus, anno domini millesimo CCXLI, ut dictum est in principio, sed ejus interitum nondum rumor ad loca remotiora detulerat. Demundis autem, consolari volens dominam et verbum, quod putabat eam ex opinione dixisse, veraci responsione repellere cupiens, dixit: "Domina, nuntius nondum venit nihilque auditum est de his, quæ dicitis, quapropter opinionem hanc relinquitte et nolite vobis credere in hac parte." At illa: "Sic est, ut dixi, sed cave summa cum diligentia, ne alicui detegas, ut ad nurum et ad filiam meam tristis hæc relatio non pertingat." Putabat enim, quia sola soli loquebatur infra nocturnum silentium in conclavi, quod mutuæ collationi

ipsarum auscultando nullus hominum interesset. Sed soror Pinnosa, in eodem requiescens cubiculo, quæ dormire putabatur, colloquentium verba audivit. Tacentibus autem illis, ut domina jusserat, post triduum nuntio veniente et divulgante, quod acciderat, compertum est, ducem in bello cum multis eodem die, quo mater prædixerat, corruisse.

[77] [nepotis sui Boleslai malitiam] Non solum autem prænuntiabat mortem corporum, sed etiam animarum et rerum pericula prædicebat. Quadam enim vice, audiente domina Anna, nuru sua, de nepote suo duce Bolezlao, filio ejusdem dominæ, tunc absente, dolorosis vocibus loquebatur: "Væ, væ tibi, Bolezlae, quanta mala tu adhuc inferes terræ tuæ!" Hoc utique adimpletum fuit, secundum quod quidam declarant, quando idem dux Bolezlaus alienavit clavem terræ, castrum videlicet et territorium Lebusanum, et dum per multa, quæ suis ipse movit temporibus prælia, non tantum perditionis rerum, sed etiam extitit quam pluribus causa mortis. Unde quasi in exordio dominationis ejus, cum sumpsisset in terra Slesici principatum, propter mala statim suborta incepit populus gemere, quoniam per ipsius exercitum in ecclesia et in cœmeterio Novi Fori promiscui sexus homines perierunt incendio circiter octingenti, et alia plura pericula per ipsius tyrannidem in Polonia diversis temporibus contigerunt.

[78] Domino quoque Lutholdo, capellano et procuratori suo, dicebat ipsa famula Dei: "Compatior tibi, domine Lutholde, [mala procuratori suo aliisque impendentia,] quia nepos meus, dux Bolezlaus, tibi multa faciet mala, te tuosque omnes bonis omnibus spoliabit." Idem vero Lutholdus, quia tunc in magna gratia ducis erat, quasi indignatus de verbo dominæ respondebat: "Utinam vos, domina, semper pacem habere possetis, ego atque mei bene semper habebimus cum Bolezlao, domino meo." At

illa intuita eum dixit: "Ego quidem pacem habebo, sed tibi eveniet, quod jam dixi." Eidem duci Bolezlao, dum adducta fuisset domina, sibi matrimonialiter copulata, filia comitis de Anhalt, et eam Beata Hedwigis primo suscipiendo respiceret, statim prædixit ei, quod a viro sua plurima ipsam mala perpeti oporteret. Præterea quod præfatus Bolezlaus duas, quas habebat in Trebnicensi claustrō germanas sorores suas, Domino traditas, esset violenter extracturus de ipso monasterio, ipsa similiter antequam fieret enarravit. Et hæc singula, ut prædixerat, evenerunt. Una tamen de abstractis a claustrō sororibus ejus, scilicet domina Agnes, ad monasterium rediit et in Ordine vitam finivit.

[79] [apostasiam fratris Minoris:] Quidam, Fridericus nomine, Sophiæ filius, professus fuerat observantiam Ordinis Fratrum Minorum. Sed quia secundum Evangelii veritatem non omnes qui vocantur a Domino, electi sunt, immo, quod valde terribile est, de multo numero vocatorum vix pauci electionis beneficium sortiuntur, ut, qui stat, timeat ne forte cadat, et quomodo caute ambulet, videat: iste Fridericus, quod unus de ruentibus esset futurus, Beata Hedwigis ostendit coram domina Anna nuru sua et Gothlinda, ejus pedissequa, his verbis, dicendo: "Dominæ Sophiæ multum compatior, quia heu filius ejus apostatando suum, quem professus est, Ordinem derelinquet." Quod miser ille, ut prædixerat domina, expleto decem annorum curriculo adimplevit.

[80] [culpam sororis revelat:] Soror Razlaua, de qua superius facta est memoria, quadam vice portans in manica ericium sub chlamyde occultatum, ad Beatam Hedwigim intravit. Quam domina intuens redarguit, dicens: "Quare, filia, rem tecum portas immundam?" At illa, oblita de bestia, quæ in ejus manica latuit, et recedens cum rubore, cogitare cœpit, quænam hæc res esset immunda, cujus domina fecisset memoriam. Et

occurrit menti ejus, si forte displicentiam haberet de ericio, quem apud se gestabat sub pallio, et illum statim rejiciens ad dominam est reversa. Cui illa dicebat: "Sic, filia, sic prima vice debebas ad me venire. Cave, ne de cætero feras hujusmodi rem deformem."

[81] [Canonizandum S. Stanislaum prævidet.] Juliana, soror domus Trebnicensis, quadam die dato signo veniendi ad chorum ad persolvendas laudes divinas, veloci properabat incessu, ne tempus congruum intrandi negligeret et sic accelerando locum quemdam in ecclesia sancti Bartholomæi, ubi nunc altare beati Stanizlai Martyris et episcopi est positum, pertransivit, nulla ibidem facta speciali reverentia, quia nec causam faciendi sciebat, cum nullo venerationis titulo adhuc locus ille foret specialiter insignitus. Ipsam ergo sic accelerantem domina revocavit eique locum ostendens dicebat: "Filia Juliana! locus iste cuidam magno Sancto deputatus est, in cujus honore tandem construeretur in eo altare, unde hic, quoties pertransieris, ne exhibere reverentiam pigriteris." Dum autem hæc ipsa diceret, et doceret, non solum jam dictam sororem Julianam sed etiam dominam Catharinam sibi familiarem pedissequam, nihil adhuc de canonizatione Sancti auditum fuerat Stanizlai. Post obitum vero ipsius Sanctæ, annis transactis XIV in loco eodem, altari constructo ad gloriam Dei et Sancti Stanizlai honorem completum est, quod ab ipsa fuerat prophetatum.

[82] [et pedissequæ suæ paupertatem] Istam, de qua jam paulo ante facta est mentio, Catharinam, natione Pruthenam hortabatur, ut aurum filare ac de aurifrigio disceret operari, prædicens eidem, quod talis operatio sibi multum fieret utilis in futuro. Acquievit humilis famula consilio dominæ, sibi ex dilectione utilia consulentis, artificiumque didicit memoratum. Quo post mortem ipsius dominæ tribus vicibus, rebus suis omnibus perditis, rerum

copiam conquisivit; eratque non solum temporalibus verum etiam in virtutibus dives et mulier bonæ famæ, hoc geminum recipiens præmium pro fideli servitio, ut virtuosæ adhærens dominæ et semita virtutis ipsius apprehenderet et bonis nihilominus transitoriis abundaret.

[83] [mortem propriam prædicit,] Sed ne ipsa Dei famula, quæ multis multa prædicebat futura et mortem sciebat aliis imminentem, proprium videretur de hoc sæculo exitum ignorare, revelante sibi Domino, dixit quibusdam familiaribus suis, quod corporis sui sarcinam, aggravantem multis defectionibus animam, sciret in proximo deponendam. Unde quadam vice, dum quædam nobilis et honesta fæmina, nomine Myleisa, quam ipsa non modicum diligebat, venisset ad eam, ut dilectioni ejus vicem rependeret, visitandam, potitaque solatio ejus post moram competentem, dum ad propria redire disponeret, vocavit eam et dixit: "Myleisa, mi dilecta, ad me accede et suscipe osculum oris mei. Dico enim tibi, quod, postquam ex nunc recesseris, me in hac mortali vita de cætero non videbis." Haud dubium illa flens, accepto a domina osculo, abiit nec eam amodo vidit, quia cito post ejus discessum domina correpta ægritudine decedens in pace quievit.

[84] [quare advocat fidelem sibi famulam,] Spiritu ergo prophético prænoscentem dissolutionem sui corporis imminere, et vicinam intelligens infirmitatem, de qua ex hoc transire mundo debebat, adhuc tamen sana existens, misso nuntio venire jussit ad se dominam Catharinam, patrinam suam superius memoratam, mandans ei per nuntium, ut moram non faceret, sed cito veniens sibi in imminente ægritudine deserviret. Illa, ut fidelis vernula, festinabat ad ministerium dominæ, sanam tamen eam inveniens, remansit nihilominus apud ipsam, eique in omnibus sedule ministravit. Quadam vero die, cum

domina quamdam ingressa fuisset cameram, ipsa Catharina vidit tres dæmones in humana effigie, maximo strepitu facto, in ipsam dominam irruentes et eam atrociter flagellantes audivitque eos cum furore dicentes: "Quare tam sancta es? quare tot sanctitatis operibus occuparis?" Has ergo dæmonum pugnas et impetus sustinens, cum tremoreque signaculo Crucis se muniens, eos illæsa evasit. Et dum de loco agonis egrederetur devota famula, dominæ sequens vestigia eique compatiens multiplicabat benedictionem domini super eam, post tergum ejus Crucis signum sæpius faciendo. Quod quidem domina, corporalibus oculis, facie aversa, non vidit, virtutem autem sentiens Crucis Christi, regirans se dixit: "Catharina hoc me signo semper consigna." Mirandam enim habet efficaciam signum istud ex dominica passione.

[86] [illam invisentes etiam non videns agnoscit] Postquam vero decumbere cœpit et languoribus fatigari, filia ipsius, tunc abbatisa Trebnicensis, districte prohibuit cunctis sororibus et aliis sibi ministrantibus, ne ipsam gravarent aut gravari permetterent narratibus quibuscumque. Pandebantur tamen ei per inspirationem divinam multa, quæ ab homine non didicit nec audivit, et agnoscebat ad se intrantes, quos aversa jacens facie non videbat, præsentiam quoque ipsorum etiam expresso nomine indicabat. Unde post insultum Tartarorum reversis ad claustrum sororibus, ad se venire jussit sororem Wencezlauam, postmodum in Trebnicz priorissam, de cujus reditu adhuc nihil audierat. Præterea dominæ custodientes et ministrantes ei in ægritudine, timentes ne forte decederet in absentia dominæ Annæ, nurus suæ, quæ tunc erat apud regem Bohemiæ, fratrem suum, ei significare languorem ipsius celeriter satagebant. Ipsa vero prohibuit, dicens: "Nolite timere, nec laboretis mittendo ad filiam meam Annam. Non enim moriar antequam veniat." Et sic factum est. Dum autem reversa

fuisset, dicebat: "Numquid non dixi vobis, quod ante reditum filiae meae non decederem?"

[87] [sororem inobedientem redarguit] Eodem tempore, ea sic decumbente in lecto aegritudinis, duae sorores domus Trebnicensis, Pinnosa scilicet et Benedicta, eam adierunt gratia visitandi. Ipsa vero, dum Pinnosam propius assistentem fuisset intuita, ventilabro parvo de palmis contexto, quod tunc manu tenebat, tetigit eam dicens: "Tu, quod huc absque licentia veneris abbatissae, jam si velis negare non expedit. Vade ergo et veniam pro negligentia quaere petitaque et obtenta licentia ad me cum volueris, revertaris." Obstupuit soror et quamvis plurimum abbatissam timeret, mandatum tamen dominae adimplere festinans, celerius abiit abbatissaeque, quod perpetraverat, accusando se exposuit et de ipsius indulto dominam denuo visitavit. Ipsa autem domina jacendo averterat vultum ab ostio, nec Pinnosam venientem carnalibus oculis vidit, praesentem tamen cognovit in spiritu et impropere ei dixit: "Egredere praevericatrix Ordinis tui, egredere!" At illa procidens petivit ab ipsa indulgentiam. Quae statim indulgens ei dicebat: "Amodo, filia, nil absque licentia facias, cum valde meritorium sit obedientiae sanctae jugum."

[88] [moniali peccata ejus delegit,] Dum ipsa Dei famula jam in illa, de qua mortua est, aegritudine laboraret, Eugenia, soror domus Trebnicensis, germanam suam, quam in eadem domo et Ordine habuit, proprio nomine vocans dixit: "Soror Gaudentia! eamus ut istam Sanctam visitemus dominam matrem nostram, ad lectumque ipsius noctis hujus supervenientis vigilias observemus." At illa respondit: "Hoc quidem libenter facerem, sed non praesumo, timeo enim, si coram ea comparuero, quod mea mihi peccata impropere, ut sorori Pinosae culpam recitavit inobedientiae, et ut sororem Razlauam reprehendit pro bestia, quam latenter portavit sub

chlamyde," ut supra dictum est hac eadem distinctione, octava scilicet in proximo præcedenti capitulo de primo et undecimo capitulo de secundo tractatur. Hanc autem excusationem Eugenia non admittens, sua tandem instantia devicit Gaudentiam, ut una secum ad dominam properaret. Procedentes igitur pariter usque ad domum, in qua languens domina jacuit, pervenerunt, ubi Eugenia introgrediens, Gaudentia vero pavefacta stans ad ostium foris remansit. Mirabile certe, nec visu nec auditu perceperat de illius adventu, quæ exterius metus causa substiterat, sed spiritu hoc prænoscingens, dixit ei, quæ ingressa fuit sorori: "Eugenia vade et Gaudentiæ, quæ stat foris ante cameram dic ex parte Dei et mea: Tu hæc et illa commisisti peccata," exprimens delicta, in quibus ipsa offenderat, "unde cito recurre ad lamentum pœnitentiæ et quas contraxisti maculas delictorum absterge." Fecit Eugenia, ut ei fuerat per dominam imperatum, Gaudentia vero suscipiens nuntium, mox ut audivit sibi detegi veritatem, non modicum perterrita, ivit, et per confessionem delevit offendicula, et sic emundata a peccatorumque sordibus libera, quoties voluit postmodum ad dominam introivit segura.

[89] [futuram suam gloriam prævidet.] Invalescente sensim infirmitate, domina Gerdrudis, abbatissa Trebnicensis, filia ejus, ab ipsa sciscitabatur, ubi eligeret sepulturam. At illa, quæ jam dudum omnem fugerat pompam, ex humilitate sincera respondit: "In communi cœmeterio sepeliri desidero." Filiam autem in hoc non consentientem intelligens, in loco capituli sororum petivit suppliciter sepeliri. In hoc quoque non consentiente filia, sed dicente: "In ecclesia te, mater, in patris mei sepulcro ponemus," dicebat: "Si oportet me humari in ecclesia, contestor te per Deum et obsecro, filia, ut in tumulo patris tui, a cujus thoro pluribus annis disjuncta fui, non colloques corpus meum. Nolo enim conjungi mortuo mortua, a quo castitatis amore, quantum ad thorum, dum viverem, diu

extiti separata." Dicente vero filia: "Te ergo, mater, cum filio tuo, fratre meo faciam tumulari," respondit: "Cum nullo habere volo consortium in sepulcro, sed si omnino in ecclesia me decreveritis sepelire, ante altare Beati Johannis Euangelistæ me, consulo, sepelite." In ecclesia namque Beati Bartholomæi coram jam dicto altari sepulti jacebant quidam pueri, nepotuli sui, quorum amans innocentiam, eorum quoque sequi voluit humiliter sepulturam, quia noverat Dominum dixisse in Euangelio: "Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cælorum." Dum autem filia diceret: "Ante altare Beati Petri te, mater, collocabimus, ut sepulcrum tuum semper ante oculos habeamus," illa prophetico illustrata spiritu dixit: "Hoc si feceritis pœnitebit vos in brevi propter gravamina, quæ vobis ibi ex mea supervenient sepultura." Et sicut ipsa prædixerat sic evenit, nam sorores, ex multitudine hominum sepulcrum ejus visitantium, in requie sua sæpius perturbantur. Sic ista felix et beata divinis irradiationibus illustrata de futuris contingentibus determinatam veritatem edocuit ab humanis sensibus occultatam. Quod enim per investigationem humanam sciri non potuit, lux vera, cui familiaris extitit, ei detexit, quamvis non omnia vulgaret exterius, quæ divina luce irradiata interius cognoscebat. Abbatissa quoque, filia ipsius, quantum discrete poterat prohibendo cavebat, ne sibi manifestata revelando aliis, præcipue in ægritudine gravaretur.

ANNOTATA.

Du Cange Voce Baco dicit hac voce promiscue denotari porcus saginatus, ustulatus et salitus et petasonem aut pernam. Eodem sensu adhibetur gallice et Anglice, germanice vero dicitur Bache.

Canonizatio S. Stanislai, episcopi Cracoviensis et Martyris, cujus festum celebratur VII Maji, facta est ab

Innocentio IV, anno 1253, atque adeo decem integris annis post mortem S. Hedwigis.

Aurifrigium seu Aurifrisium (cfr. Du Cange h. v.) pro fimbria aurea aut limbo aureo sumitur: quandoque etiam, sicut hic, omne genus operis acupicti interpretatur. Inde derivatur vox gallica Orfroy, quod hodie quidem latam fimbriam, quæ antè cappam choralem exornat, posterius vero in caputium desinit, significat.

Cap. VII.

De Miraculis factis tempore mortis S. Hedwigis.

[In ægitudine a variis] Appropinquante vero termino, in quo post consumationem bonorum laborum Beata Hedwigis deberet a Domino gloriosum percipere fructum, ipse Deus ei illius æternæ jucunditatis quædam præludia ostendebat consolationibusque suis lætificabat animam ejus, ne propheticum illud: "Consolatio abscondita est ab oculis meis," in peccatoribus a seculo migrantibus verificatum, in ea locum haberet. Mittebat namque ad ipsam supernæ patriæ cives, qui, utpote jam experti, plenius eam possent de civium jucunditate supernorum instruere ipsamque ad paratum illud ineffabile convivium invitare. In solemnitate enim diei Nativitatis Beatæ Virginis, omnibus sororibus et aliis, quæ ei ægrotanti ministrabant egressis ad concinendum vel ad auscultandum canticum vesperarum, sola Catharina, ejus patrina, remanserat apud eam. Quæ vidit quosdam homines et personas, luce fulgentes, ad ipsam dominam ingredientiæ ipsisque advenientibus eam audivit dicentem: "Bene veniant domina mea Sancta Maria Magdalena, Sancta Catharina, Sancta Thecla, Sancta Ursula, pluresque nominavit alias Sanctas, quarum nomina non retinuit ipsa, quæ aderat Catharina. Audivit quoque cum ipsis litteraliter eam loquentem et quantum

advertere poterat et colligere per conjecturas probabiles, de hora sui transitus conferentem. Finitis vero vesperis visio illa cum luce abscessit.

[91] [Sanctis visitatur;] In die quoque Sancti Matthæi Apostoli et Euangelistæ, sororibus domus Trebnicensis more solito ad capitulum congregatis, duæ ex ipsis, Pinnosa scilicet et Benedicta, eam languentem visitare venerunt. Quibus ipsa præsentibus ait: "Flectite genua et orate." Interrogantibus autem illis ab ea, cur facere hoc deberent? respondendo subintulit: "Numquid non videtis Sanctam Mariam Magdalenam et Sanctam Catharinam?" Quemdam etiam Sanctum Martyrem nominavit, cujus vocabulum, quia inusitatum erat, ab earum memoria lapsum fuit et maxime quia soror Benedicta litteras ignoravit, nomen illud retinere non potuit. Sic Dominus electam et dilectam suam in infirmitatum doloribus per Sanctorum frequentiam relevavit, priusquam transferret eam ad plenitudinem gaudiorum. Cum autem fatigationibus ejus finem vellet Deus imponere et eam absolvere a labore, quem tamen non sensit præ amore, animam ipsius sanctissimam de ergastulo carnis in abyssum æternæ transtulit claritatis, ubi Regem supremum et Dominum nostrum Jesum Christum, pro cujus amore regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsit, in quem credidit, quem dilexit, beatis videbit oculis in sæcula sæculorum. Transiit autem Beata Hedwigis ex hoc mundo anno Domini millesimo CCXLIII idibus mensis Octobris, circa horam vesperarum, ut illa utique hora, qua solita fuit in quotidiano jejunio corporaliter cibo arido refici, transferretur ad delicias cæli et ad interminabilis requiei sabbatum cum Sanctis omnibus celebrandum.

[92] [in morte corpus Sanctæ splendescit;] Corpore vero jam exanimato, dum more claustralium domina Wenzeslawa, priorissa domus Trebnicensis, accedens cum

sororibus aliquibus abluere corpus disposuit, ipsa Beata Hedwigis inventa est habere durissimum ad carnem cilicium et zonam de pilis equorum contortam. Quibus dum nudata fuisset, futuræ gloriæ signa cœperunt apparere in ipsa. Nam color corporis ejus, qui ex frequenti jejunio et castigatione continua pallidus erat seu croceus, cutisque ipsius quibusdam superducta rugationibus totumque corpus ejus quod adustum caumate ac algore pœnitentiæ declinabat ad nigredinem, in omnium aspicientium oculis veluti nix splendescere cœpit lucisque repræsentare candorem. Insuper prius ex infirmitate glaucam, in morte vero albescentem faciem et genas rubore perfusas ac rutilantia labia intuentibus exhibens, quasi quædam pulcherrima videbatur imago, signa mortui hominis nulla habens. Pedes quoque ipsius, prius frequenter squalidi, tunc uti lac nitidi cernebantur, significans cunctis dealbatione forinseca, quod opitulatione divina multimodis tusionibus et pressuris jam esset ad statum innocentiae reformata securaque foret de stola immortalitatis æternaliter possidenda. Tunc etiam illa, que prius dum viveret absconderat cum summa diligentia insignia meritoria, calli scilicet in ejus genibus apparebant et apertius tractabantur a circumstantibus foeminis, in admirationemque aspicientes vertebant et jubulum, dum in tam excellenti foemina cernebant signacula tam excessivi fervoris in servitio summi regis. Erant enim, ut testabatur soror Juttha, quæ præsentialiter viderat, calli prædicti adeo magni, ut duobus pugnis essent æquales et unus alteri superpositus fuit. In callorum quoque duritie videbantur tunc rupturæ et quædam cavernulæ pulvere arenoso repletæ. Nam in oratione genua ejus nuda, nudo impressa sæpius pavimento, de humo arenulas hauserant, quas, intra rimulas scissurarum receptas, adhuc tenebant calli præfati evidentius prominentes.

[93] [moniales curantur, alia ab inflata manu] Loto autem corpore et aptato super feretrum, ut decebat, sorores domus Trebnicensis mox cum magno accurrentes desiderio et animi aviditate, quævis, quod poterat, de Reliquiis capere corporis rapiebat. Aliæ namque digitorum, aliæ pedicarum ejus ungues, quædam vero capillos sancti capitis præcidebant. Tandem cum sollemnitate debita thesaurus ille inæstimabilis ad ecclesiam deportatus ibidem remansit triduo insepultus, vigilantibus juxta corpus et orantibus multis cunctisque laudantibus Deum super omnibus, quæ viderant et audierant et quæ faciebat, adhuc non sepulto corpore, clementia divina magnalia per merita Sanctæ suæ. Quædam namque soror domus Trebnicensis, Juttha nomine, manum habens ex minutione periculose inflatam et lividam, dum aliud non haberet remedium, Beatæ Hedwigis patrocinium invocabat, sperans ejus meritis a periculo liberari. Accedens ergo cum fiducia manum infirmam corpori sancto, in feretro posito, quanto poterat vicinius applicabat. Dum autem appropinquasset et cilicium, in quo involutum corpus jacebat attingeret, fragrantiam odoris sensit mirabilem et subito manus suæ recepit plenariam sanitatem.

[94] [alia a siti:] Martha, soror domus Trebnicensis, desiccationem oris, linguæ et pectoris patiebatur. Ex qua ariditate continue tantam sustinuit sitim duobus annis et amplius, quod multoties dum matutinum pulsaretur, eam bibere oportebat. Et aliquoties dum non occurreret aliud ad bibendum, ecclesiam intrans, aquam benedictam bibebat. Pro qua bibitione extraordinaria contra eam murmurabant sorores et per abbatissam in capitulo culpabatur dicentem, quia vitium hoc potius ex consuetudine perversa procederet, quam ei ex ægitudine inhæreret, ideo per abstinentiam illud bene, si vellet, a se repelleret. Ipsa autem siti quasi inextinguibili fatigata, quamvis verecunde, publice et

occulte correpta, corrigere non potuit hunc defectum, qui ei non, ut opinabantur alii, ex pravæ consuetudinis, sed ex morbi et passionis jam dictæ vitio inhærebat. Cum vero corpus Beatæ Hedwigis in die defunctionis lotum, ut prædicitur, deferretur ad ecclesiam, soror Martha, patiens dictam sitim, ad locum ablutionis confidenter accessit, et de meritis Sanctæ Hedwigis non immerito præsumens, orationem fecit, dicens hoc modo: "Domina mea, Beata Hedwigis, libera me ab ista passione et ab improperio, quod patior ratione sitis, quam sustineo." Oratione completa, accessit ad pelvim plenam aqua, in qua lotum fuerat corpus sanctum, quam invenit ibidem relictam, absentibus cunctis, jam funere deportato, lavitque os et collum ac guttur suum, et fuit subito relevata sic quod nullam innaturalem aut inordinatam de cætero sensit sitim.

[95] [mirus ex ejus corpore candor et odor.] Die tertio, priusquam sepulturæ traderetur corpus Beatæ Hedwigis, filia ejus, abbatissa Trebnicensis, dixit sorori Wencezlavæ, ibidem postmodum priorissæ, ut velamen, quo tegebatur caput Sanctæ, deponeret et alio superposito velamine jam dictum caput velaret. Ipsum enim velamen, quod removeri jubebat extiterat Sanctæ Elizabeth, cujus Sancta Hedwigis matertera fuerat et ideo ipsa Beata illud quoad vixit, in magna reverentia habuit, ob ejusque amorem ipsum studiosius conservavit. Pro hac etiam procul dubio causa prædicta ejus filia, ut et matris et materteræ memoriam in illo velamine confoveret ac jure dilectionis memoriale non amitteret, dictum velamen voluit reservare. Accedens ergo soror ad feretrum et perficere mandatum abbatissæ festinans revelataque facie Sanctæ, vidit eam ore aperto jacentem, de ipsoque ore sensit odorem suavissimum emanantem. Corpus quoque ipsius, quod prius dum ablueretur lacteum seu niveum representabat colorem, tunc vidit multo ampliori

candore perfusum. Et sic dos claritatis stolaque gloriæ videbatur in ea tunc quodammodo relucere.

Cap. VIII.

De miraculis post mortem S. Hedwigis.

[Variorum morborum curationes ad tumulum S. Hedwigis obtentæ:] Ne autem virtus illius incæstimabilis margaritæ et pretiositas thesauri absconditi in agro sepulcri ignoraretur ab hominibus, Dominus eam dignatus est virtutis suæ potentia facere manifestam. Nam corpore cum decenti celebritate sepulto, mox Beata Hedwigis pluribus et magnis cæpit coruscare miraculis, quibus fideles suos, cum devotione ipsius Sanctæ auxilium invocantes, longe lateque consolabatur clementia Salvatoris, secundum quod in subsequentibus declaratur. Recitantur ergo, Primo, miracula de infirmis sanitati restitutis. Secundo, de curatis in capite et oculis. Tertio, de cæcis illuminatis. Quarto, de surdis in auditu reformatis. Quinto, de mutis in loquela relevatis. Sexto, de passione manuum liberatis. Septimo, de dolore pedum sanatis. Octavo, de passione manuum et pedum simul curatis. Nono, de contractis. Decimo, de gibbosis. Undecimo, de paraliticis. Duodecimo, de quartanariis. Tredecimo, de epylenticis. Quartodecimo, de dæmoniacis. Quintodecimo, de dissentericis. Sextodecimo, de squinantibus. Decimoseptimo, de infistulatis. Decimo octavo, de erutis a periculo mortis. Decimonono, de mortuis suscitatis.

[97] [sanantur filius domini de Borech,] Puer quidam, Dominicus nomine, filius Witoslai militis de Borech, septem annorum gravi erat decumbens ægritudine. Infirmitate autem crescente, ad hoc tandem deductus est, quod ei certitudo mortis tunc jam de proximo humano iudicio iminebat. Nam manus ejus et pedes erant

emortui, oculi quoque ipsius transversi claudi non poterant, modicus adhuc solummodo strepitus resonabat in gutture ejus, pectore totaliter elevato enormiter, ut solet in mortuis elevari. Mater ergo sic appropinquantem morti considerans filium, patri pueri, videlicet marito suo, qui et ipse tunc in lecto decubuit dixit: "Filius noster a te accipit licentiam et recedit, jam non habemus filium nostrum." Pater hæc audiens, elevatis manibus cum fletu, dicens clamavit: "Domina mea, Beata Hedwigis, ego tibi servivi et tu me dum viveres, dilexisti; hanc nunc mihi facias gratiam, ut filium meum per tuam intercessionem vivum retineam. Restitue mihi, domina, filium meum sanum et hæc a tua liberalitate sit mihi præcipua specialisque retributio pro laborio meo." Mirabile valde, minister fidelis, fidele ministerium in spe gratiæ impetrandæ dominæ recitat; domina, veluti non oblita de fideli impenso sibi ministerio, remunerationem non prorogat nec procrastinat exaudire petita. Subito enim, dum pater orationis verba compleret, filius, qui exhalare jam spiritum putabatur, se vertens, patrem incepit respicere ipsumque suo intuitu consolari. Pectoris elevatio recessit visibiliter, evanueruntque celeriter signa mortis et ipse puer, qui ex infirmitate quasi totus aridus erat, utpote qui languerat a festo Sancti Michaelis usque ad diem proximo sequentem festum Sancti Martini, nulla crisi aut immutatione alia naturali facta circa ipsum, tertia die sanus et incolumis de lecto ægritudinis est egressus. Pater quoque ipsius pueri, tempore examinationis miraculorum coram inquisitoribus hoc miraculum recitans, vix illud præ lacrimis et singultibus poterat enarrare.

[98] [filius Amilii Wratislaviensis,] Waltherus puer, filius divitis viri Amilii civis Wratislaviensis, lapsu nutricis suæ adeo fuit collisus, quod vehementem fracturam renum et inflaturam, quam ex ipsa collisione incurrerat, nulla poterat repellere medicina. Unde mater ipsius, domina

Berchta, in spe curationis ipsum per chirurgicum fecit incidi. Sed neque per hoc incolumitati extitit redditus, immo fuit amplius infirmatus. Videns igitur fœmina, omne humanum abesse remedium, ad sui sanitatem filii reformandam, inspirante Deo, præcipuum excogitavit sanitatis antidotum et hoc per Beatæ Hedwigis intercessionem ab altissimo medico obtinendum. De ipsius ergo Sanctæ meritis confisa mulier devote vovit filium letaliter ægrum ad ejus reducere tumulum, sperans suo desiderio non fraudari. Voto sic emisso, curavit ocius, quod voverat reddere, multis tamen consulentibus, ne deduceret puerum, quem tunc putabant veluti proximum morti, celerius tumulandum. Eoque in Trebnicz perducto prope sepulcrum Sanctæ lichno, qui ratione curationis immersus fuerat carni sauciatae, extracto de vulnere, mater filium cum cereo, quem ad longitudinem ejus præparaverat, offertorio alio superaddito, imposuit Sanctæ sepulcro multis præsentibus et stans de prope, sic dicens orabat: "Domina mea Beata Hedwigis, sana filium meum, aut fac, quod prius quam de tuo recedat tumulo, moriatur." Hoc ipsius matris jam erat desiderium propter tædium, quod habebat de filii nimis prolixo languore; nam ægrotaverat a festo Sancti Vincentii episcopi præcedente festum Nativitatis Beati Johannis Baptistæ usque ad vigiliam Beati Bartholomæi Apostoli. Tunc enim idem ægrotus ad Sanctæ mausoleum est perductus: et ecce, quod valde mirabile nec minus delectabile est, mater filium, quem super tumulum multorum judicio quasi mox moriturum, collocaverat, oratione facta, omnino sanum recepit, vulnus quoque incisuræ, de quo lichnum extraxerat ipsa mater, ut prædicitur, obductum est inventum et adeo consolidatum, quod in signum præhabiti vulneris modica cicatrix remansisse tantummodo videretur. Puer iste sic per merita Sanctæ Hedwigis redditus sospitati, pluribus annis vixit incolumis, et tempore examinationis miraculorum

sanus, fuit ipsis examineribus præsentatus ad perquirendam istius miraculi plenariam veritatem.

[99] [Petrus, familiaris ducis Henrici,] Petrus quidam, de familia et familiaritate ducis Henrici, in festo Nativitatis Domini correptus gravi ægitudine, diebus multis decubuit dolorum aculeis fatigatus. Quibus dum vehementius urgeretur, recordatus sanctitatis Beatæ Hedwigis et de ipsius confisus suffragiis, dixit: "Beata Hedwigis, adhuc proroga tuis intercessionibus vitam meam." Dum ergo in vigilia Sancti Silvestri Papæ et Confessoris in grabato hanc orationem devotius funderet Sanctæ patrociniū invocando, audivit vocem sibi dicentem aliquoties: "Surge. surge! quid jaces?" Audita voce, continuo pressus somno, non explevit jubentis mandatum, sed post soporem evigilans, statim sanus surrexit, annuntians, se divina misericordia per Sanctæ Hedwigis merita a doloribus liberatum.

[100] [Elisabeth puella sex annorum,] Elizabeth, puella sex annorum, filia Mechtildis, uxoris Hermanni Cranzonis, civis Wratizlaviensis, ex ægitudinis protractione corpusculum habuit adeo arefactum, ut omnia ipsius membra multo minoris essent quantitatis quam ætas tanti temporis requirebat. Sciens autem mater, jam nullum posse efficacius remedium adhiberi miserabili filiæ suæ, cujus vires et vigorem languor perseverans devastaverat, quam miserationem divinam, voto facto Beatæ Hedwigis, adiit mausoleum, infirmam illuc secum deferens filiam. Quam prope sepulcrum deponens, hæc dicens verba orabat: "Domine Jesu, per merita Beatæ Hedwigis tuam misericordiam invoco, sana filiam meam languidam hic prostratam." Et ecce misericors et miserator Dominus, qui prope est omnibus se invocantibus in veritate, subito miserationis suæ beneficium invocatus exhibuit et puellam, per dimidium annum continuis languoribus arefactam, plene sanitati restituit, ita quod ipsa, quæ

quasi jam fuerat desiccata, statim resumpsit per Beatæ Hedwigis auxilium corporis incrementa.

[101] [Hermannus Cisterciensis:] Frater Hermannus, presbyter de domo Lubensi Ordinis Cisterciensis, quodam tempore graviter ægrotabat in Lubes, ita quod tam ipse quam fratres alii in hac eum ægritudine morituum putabant. Dum sic languore depressus, quadam vice extaticum quemdam pateretur excessum, audivit vocem, sibi dicentem: "Vade in Trebnicz ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum et sanaberis." Ex illa hora incepit frater convalescere et melius se habere. Sanitate autem adeptam, monitionem sibi factam de visitando Sanctæ sepulcro adimplere neglexit et recidivans, tamquam ingratus beneficio, majoribus quam antea cœpit infirmitatum stimulis perurgeri. Inflicta autem vexatione sibi dante intellectum, ad cor reversus, spretam admonitionem divinam esse causam recidivi et adacti flagelli non immerito iudicabat. Velocius ergo a patre monasterii, domino Ludewico tunc abbate Lubensi, petiit et impetravit licentiam adeundi Sanctæ Hedwigis sepulcrum, sicut sibi a Domino fuerat revelatum, et cum duobus sibi assignatis pro sociis fratribus, Nicolao videlicet laïco et Berthodo presbytero in curru subvectus, totus languidus illuc perveniens, ipsi tumulo, quia erat debilis, incumbendo pro sua sanitate recuperanda per Sanctæ Hedwigis utique merita Dominum invocabat. Mox dum sic confidens insisteret precibus Dei servus, affuit ille, qui promisit veraciter, dicens: "Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis," et famulum suum, priusquam ad recedendum se levaret a tumulo consolatus est, restituendo ei desideratam corporis sanitatem. Nam protinus cum orasset, sudorem incurrit salvificum, deductusque ad hospitium, eadem nocte convaluit ab ea ægritudine, quam passus fuerat a vigilia assumptionis gloriosæ Virginis usque prope festivitatem Beati Archangeli Michaelis, et sic per intercessionem Beatæ

Hedwigis sanitati pristinae redditus ad suum conventum breviter est reversus. De jam dicto Lubensi monasterio multi fratres alii fuerunt curati a Deo per Sanctae Hedwigis suffragia, quorum unus e pluribus erat frater Gotfridus, prior domus ejusdem.

[102] [puella, virginitatem mentita, amittit crines:] Beata Hedwigis suis intercessionibus apud Deum non tantum corporum, sed etiam mentium dignabatur procurare salutem et cordium effugare tristitias, ut in his quae sequuntur luculenter apparet. Quaedam adolescentula, corde et habitu saecularis, virginalem pudicitiam, quam coram Deo amiserat, se habere propter erubescitiam coram hominibus simulabat. Ad sepulcrum autem Beatae Hedwigis perveniens, velamen, quo caput suum contexerat, dum pro integritatis signo ibidem deponere vellet, capillos pariter defluentes deposuit, et sic capite depilato remansit. Et quia suum noluit defectum cognoscere, sed potius de statu virgineo, a quo infelici casu ceciderat inaniter gloriari volebat, coram omnibus revelata est ignominia ejus, ut ad cor rediens, in oculis suis fieret postmodum humilis, quae prius superbire delectabatur cum virginibus fatuis, non solum oleo caritatis, verum etiam pulchritudine carentibus castitatis. Quidam Clemens nomine, de Orinico, coram examinadoribus in Romana curia se asserebat praedictos vidisse capillos, quamvis tunc non interfuerit, cum de capite dictae virginis fuerunt elapsi. Simile factum de Sancto legitur Stanizlao, ut per Sanctos et Sanctas suas comprobet Dominus, quantum sit facinus, culpam velle mendacio obumbrare.

[103] [puer perditus invenitur:] Faber quidam manebat Wratizlaviae, filium habens trium annorum, quem sibi tempore nundinarum in festo Sancti Johannis Baptistae, mulieres vagae furtim abstulerant. Dum ergo per vicos et plateas circuiens quaesivisset triduo cum dolore, nec eum

ullatenus invenisset, votum sic dicens emisit: "Beata Hedwigis, fac me rehabere puerum meum et ego tibi offeram bladi mensuram secundum gravitatem ponderis quam præferet idem puer positus in statera." His verbis cum intentione prolatis statim affuit quædam fœmina, dicens ei, ut veniret et reciperet puerum perditum, ostenditque ei locum, in quo cum gaudio invenit eum sibi per Sanctæ Hedwigis suffragia demonstratum.

[104] [Michael a dolore capitis,] Vir quidam, Michael nomine, devotus et timens Deum, habens in Trebnicensi monasterio sororem, quæ Gaudentia vocabatur, gravi capitis oppressus dolore per unius anni spatium continue decumbebat. Qui quanto poterat devotionis studio Beatæ Hedwigis invocabat auxilium, quod eum a tali ac tanto cruciatu dignaretur Dominus, ipsius interveniente suffragio liberare. Tandem Beata Hedwigis dormienti apparuit et per somnium ei dixit: "Si curari desideras, sepulcrum meum personaliter adeas et recipies sanitatem." Expergefactus homo, salutis consilium, quod acceperat dormiens, vigilando perficere festinabat, pertingensque ad locum sepulcri, se protinus ad orationem projecit. Cui sic oranti pro capitis sospitate vir quidam, alba indutus veste apparens, dicebat: "Sic debes orare et his verbis Deum per Beatæ Hedwigis merita invocare: "Da nobis quæsumus, Omnipotens Deus, in te semper gloriari et concede propitius, ut, qui Sanctæ Hedwigis merita devote recolimus, ipsius adjuti auxilio tuam gratiam sentiamus." Ægrotus iste adeo modicum exstitit litteratus, quod hanc orationem, sicut nec componere, sic nec retinere aliquatenus valuisset, nisi virtute mirifica ejus fuisset memoriæ inculcata. Orationem ergo, instructus a Deo, retinuit et perfecte curatus a sepulcro ad propria cum gaudio remeavit. Antequam tamen abiret, veniens ad sororem suam præfatam Gaudentiam, ei aliisque sororibus claustrum et curationis suæ processum et orationis, quam didicerat

seriem recitavit. Unde soror Gozlava, ob venerationem et recordationem miraculi, de ore ipsius cui acciderat viri, dictam orationem conscripsit et posteris in scripto reliquit.

[105] [Siffridus a dolore oculorum] Siffridus, civis et frater iudicis civitatis Wratizlaviensis, vehementem oculorum dolorem incurrerat, qui eum nec modicum sinebat videre. Vocatus ergo magister Hermannus chirurgicus, dum paratus assisteret ad carnem superfluum, quæ excreverat, de ipsis oculis excidendam, ipse qui patiebatur, dolorem dolori superaddendum considerans, nec præsumens, tantum genus tormenti jam patiens, sustinere se posse de novo alium supervenientem aliquo modo cruciatum, omisso curationis remedio, quod ei per humanam forte industriam poterat adhiberi, ad Sanctæ Hedwigis auxilium, quæ ipsum pridem de alia infirmitate liberaverat, se contulit invocandum, votoque emisso ad ipsius Sanctæ visitandum sepulcrum, in curru noctis tempore, quia lucem diei sustinere non poterant ejus oculi ægrotantes, quantocius properavit, illucque perveniens, sic dicens oravit: "Sancta Hedwigis, fer mihi auxilium, ut hujus doloris vehementiam evadere valeam, tuo juvamine mediante." Oratione completa, homo, qui vix cæcutiens ductus advenerat, subito sanatus mane sequenti ad domum suam rediit bene videns.

[106] [Boguzlava a dolore capitis] Nobilis mulier Boguzlava, uxor domini Simonis castellani Gnezenensis, tam vehementem dolorem capitis habuit, quod nec comedere, nec bibere bene poterat, nec dormire. Pulvillos, quantumcumque delictos aut cervicalia mollia supponeret capiti, non potuit sustinere, nec in ipsis præ doloribus requiem invenire, unde tantam incurrerat ex consequenti oculorum caliginem, ut manum propriam videre non posset. Quæ dum nec colyriis nec medicamentis aliis pro remedio sibi adhibitis aliquatenus

juvaretur, Sanctæ Hedwigis vovit se velle visitare sepulcrum, si forte per ipsius Sanctæ merita eam dignaretur Dominus liberare ab ingenti, quo detinebatur, dolore. Voto sic emisso, maritus ejus eam cum decenti comitiva transmisit ad Sanctæ limina visitanda, dicens dum ipsam in vehiculo collocaret: "Sive vivas, sive moriendo deficias in hac via, Domino te et Sanctæ Hedwigi committo." Et ecce, quam cito in curru posita fuit statim in capite levius sensit, in oculis adhuc caligine remanente. Sed cum deducta pervenisset ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum, hoc modo dicens oravit: "Domina mea Sancta Maria, exaudi me et præcipias famulæ tuæ Sanctæ Hedwigi, ut me liberet, et tu, Beata Hedwigis, succurre mihi indignæ famulæ tuæ." Oratione completa, priusquam de tumba recederet, in præsentia militum et familiæ, quæ secum advenerat, necnon et multarum, domus Trebnicensis, quæ ibidem astabant, sororum, fœmina evasit plenarie dolorem capitis et oculorum caliginem, ita ut et clare videret et nullum deinceps capitis dolorem sentiret. Et sic ipsa, quæ per biennium fuerat præfatis cruciatibus afflicta immaniter, restituta in die sanctæ Catharinæ celerius sanitati, ad propria est reversa gaudenter. Ipsi quoque examinatores miraculorum protestati sunt, se jam dictam postmodum mulierem vidisse et eam claros oculos habuisse.

[107] [Vitozlava ab oculis sanguinolentis curantur.] Puella quædam nomine Vitozlava, filia Clementis militis, oculos habuit depravatos totaliter et compactos, de quibus crebro sanguis manabat, nec poterat præ dolore lucem aliquam sustinere. Et quia ipsa puella in infantia sua ad invocationem nominis Beatæ Hedwigis vitæ fuerat reddita, ut post dicetur dum de mortuis suscitatis tractabitur miraculo tertio, parentes ejus, rememorantes beneficii sibi primitus præstiti, in spe gratiæ ac removendi doloris, ipsam ad Sanctæ Hedwigis tumulum deduxerunt. Illuc autem properantes, cum pervenissent

ad locum, de quo jam videri poterat monasterium, in quo corpus sanctissimum est sepultum, ibidem aliquantulum subsistentes puellamque de curru ponentes ad terram, divinam procul dubio clementiam invocabant, secundum commendabilem multorum consuetudinem, qui dum Sanctæ Hedwigis accedunt ad limina, quam cito Beati Apostoli Bartholomæi ecclesiam viderint, reverentiam exhibent genibus provolutis. Mox ergo benignus affuit Dominus per Sanctæ merita invocatus et in eodem loco puellulæ præfatæ reddit luminum claritatem. Quæ recepta videndi a Domino gratia, statim more puerili, quia tempus æstivum erat, flores de prope in campo stantes consurgens carpebat, reductaque est cum laude Dei et Sanctæ Hedwigis præconio sanctitatis necnon et gaudio amicorum.

[108] [Visus restitutus, Wenceslao,] Wenzeslaus, filius Bratheconis de Solnic, infirmatus ad mortem, in festo Pentecostes in ipsa ægritudine lumen perdidit oculorum. Post festum autem Sancti Michaelis ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum adductus, per aviam suam, nomine Sulizlavam, tribus vicibus; dum tertio ad illud venisset taliter ipsius Sanctæ auxilium invocavit: "Domina benigna, Beata Hedwigis, succurre mihi afflicto, ut cuilibet infelici subvenire misericorditer consuevisti," sic quoque orans paululum dormitavit et quasi territus, est subito excitatus, excussa que somnificentia, miserante Deo et Beatæ Hedwigis interveniente suffragio, visum, quo privatus fuerat fere per annum rehabuit et ad domum suam rediit bene videns.

[109] [Juveni Olsnensi,] Juvenis quidam, per omnia cæcus, de villa forensi, quæ Olsnicz nuncupatur, cum patre suo in Trebnicz descenderat, ut ibidem misericordiam Dei ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum pro lumine oculorum sibi reddendo, quanta posset diligentia, invocaret. Et quoniam pauperes erant, in hospitali cui frater Giselbertus, tunc

custos Trebnicensis, præerat, sunt collecti. Quos idem frater infra tres hebdomadas, quibus illic moram fecerunt, crebro audivit pro restitutione visus, Beatæ Hedwigis patrocinium invocare. In die autem Sancti Georgii Martyris circa sepulcrum Sanctæ, multis præsentibus, iste pauper juvenis, qui fuerat omnino cæcus adductus, per Sanctæ Hedwigis auxilium claro lumine oculorum est a Domino consolatus. Nam dictus frater Giselbertus de hoc cæco illuminato testimonium perhibens dixit: "Quem, prius videram penitus cæcum, pulchra vidi postea virtute visiva ornatum."

[110] [Razlavæ ex Thomaskyrche,] Razlava, filia Bogdani de Thomaskyrchen, per dolorem oculorum penitus visum amiserat, ita quod absque ductore nullatenus prodire valebat. Excreverat enim illi caro de oculis, cujus superfluitas ei lumen totaliter auferebat. Pro recuperando vero sibi perduto lumine oculorum, mater ejus sex continue jejunavit diebus ad Sanctæ Hedwigis honorem, expletoque jejunio memorato, ipsa mater in die Sancti Bartholomæi Apostoli cæcam perduxit filiam ad Sanctæ sepulcrum et eam desuper collocans stansque juxta illud, cum lacrymis pro ipsius illuminatione Dominum per Sanctæ Hedwigis merita precabatur. Exaudita est ergo mater orans pro filia, et reddita sunt ei lumina adeo clara, ut oculi ejus tamquam duæ stellæ lucidæ viderentur. Et sic a sepulcro cum matre ad propria rediit filia, per divinam bonitatem decorata clarissimis oculis, quæ per biennium oppressa fuerat caligine cæcitatatis.

[111] [Elisabeth de Altaripa,] Elizabeth puella, filia Friderici, de Altaripa trahens originem, cæca fuit. Quam mater ejus in Trebnicz se vovit ducturam ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum, si forte misericordem invocando Dominum per intercessionem Sanctæ jam dictæ posset filiæ suæ restitutionem visus devotis supplicationibus impetrare. Aptata ergo vectura, dum se fœmina ad votum

perficiendum disponeret, honestus vir Conradus, tunc iudex in Altaripa, patruus ejusdem, quæ cæca erat, puellæ accessit et dixit: "Multo esset utilius, si hos, quos ad hanc viam deducitis equos, domi remanentes ad colendum agros aratro jungeretis. Nam quid ei, quæ omnino cæca est, poterit proficere labor iste? Frustra expensas hoc pro itinere facitis et vos supervacue fatigatis." Devota nihilominus mulier promissum adimplere non distulit perveniensque ad Trebnicense monasterium primo super altare Beati Bartholomæi Apostoli cæcam, quam adduxerat filiam posuit et quia quam quærebat ibi gratiam non invenit; deinde ipsam super Sanctæ Hedwigis mausoleum detulit et ejus ibidem cum devotione auxilium invocavit. Quo peracto statim puella, quæ plus quam dimidio anno excæcata remanserat, Beatæ Hedwigis suffragantibus meritis, illuminata a Domino videntibus oculis apparebat.

[112] [Sdzlavæ de Trebniz,] Sdzlava, uxor Pribizlai de Trebnicz, quodam tempore existens Wratizlaviæ, de quodam antiquo aquam hauriens puteo, faciem suam et oculos abluit et ex ipsa ablutione cæca effecta per annum integrum in eadem cæcitate permansit. Maritus ergo ipsius, ex hoc concepto fastidio eamque spernens, dimittere voluit et aliam sibi de facto, quia de jure non poterat, in uxorem assumere fœminam cogitavit. Dominus vero Bertoldus, in Trebnicz tunc plebanus, hoc, ut debuit fieri, prohibebat. Cum autem in festo Circumcisionis dominicæ prædicta mulier cæcitate percussa ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum, ductore prævio, pervenisset, ibidem cum lacrymis sic oravit: "Beata Hedwigis, adjuva me, ut possim hanc, qua detineor, cæcitatem evadere et lumen cæli videre." Mox fœmina, quod devote petiit, impetravit et quæ cæca adducta per alium fuerat, accepto per Sanctæ Hedwigis merita beneficio luminis a Domino Jesu Christo, videns per semetipsam ad domum suam reversa est cum gaudio.

[113] [Elisabeth puellæ Wratislaviensi.] Puella quædam sex annorum, Elizabeth nomine, filia Mechtildis, uxoris Hermanni Cranzonis, civis Wratislaviensis, de qua supra dictum est, dum de infirmis curatis tractaretur, erat prorsus privata lumine oculorum. Mater ergo ipsius Domino Deo vovit, quod ad Beatæ Hedwigis sepulcrum nudis pedibus et in cilicio vellet cum filia quanto posset expeditius pergere, dummodo eandem filiam dignaretur a cæcitatibus miseria liberare. Tandem circa festum Pentecostes iter arripuit, sed ex itinere fatigata sub quadam arbore aliquantulum requiescere filiamque volens refocillare, currum, in quo ducebatur eadem puella, stare fecit. Et ecce, subito in eodem requietionis loco puella solotenus posita cum pulchris, siccis et claris apparuit oculis, et quæ per quatuor hebdomadas nihil penitus viderat, jam illuminata a Deo per Sanctæ Hedwigis interventionem clare videbat, secundum quod ipsi examinatores se vidisse postmodum testabantur.

[114] [Redditur auditus Julianæ moniali Trebnicensi;] Soror Juliana de domo Trebnicensi surditatem incurrerat, de qua opitulatione humana non poterat liberari. Rememorans autem, optimum medicamentum et medicum esse Christum, non de suis sed de Sanctorum et specialiter de Beatæ Hedwigis præsumens meritis sanctitatis, ad ejusdem Sanctæ accessit sepulcrum caputque suum desuper ponens, relevamen haud dubium postulavit. Dum vero sic inhæreret mausoleo, quasi quidam calculus igneus, ut ei videbatur, ingressus est ocius aures ejus, et sic soror, Deo et Beatæ Hedwigi devota, in die sancto Pentecostes surditatem evasit, quam in festo Epiphaniæ Domini eodem anno conceperat, Domino permittente. Et licet jam dicta soror Juliana sola esset apud tumulum Sanctæ Hedwigis, quando circa ipsam istud evenit miraculum, nec aliquis ei, quo tempore dominus eam curare dignatus est, ferre posset

testimonium, tamen sororum ejusdem conventus congregatio, quæ ipsius surditatem, diutius noverat, sensum auditus, ei per Sanctæ Hedwigis suffragia a Domino restitutum, nullatenus dubitabat. Immensa namque Dei bonitas, quæ orantibus Apostolis ipso die in igneis linguis apparens amoris incendium tribuit, famulam suam secretius intendentem orationibus ignito calculo a surditatis vitio expiavit. Fuit quoque alia fœmina, nomine Snegula, similiter surda, de cujus curatione in sequenti rubrica secundo capitulo explicatur.

[115] [mutis loquela; Maguschæ,] Maguscha, uxor Andreæ de Michowicz, per tres annos et dimidium linguæ officium et usum pedum omnino perdiderat, ita quod linguam in tantum spasmatam habebat, ut in ore ipsius de ea modicum appareret, sensum quoque ac motum pedum suorum non habuit penitus. Mater ergo ipsius, confidens filiam suam per Sanctæ Hedwigis merita posse a Domino liberari ab illis ægritudinibus, votum vovit, ut ipsius Sanctæ tumulum una cum filia visitaret, quod et fecit. Perveniens quoque in Trebnicz, quatuor continue hebdomadibus manens ibidem, ipsa Maguscha rependo quotidie Sanctæ mausoleum visitavit. Tandem per visum quædam splendida et formosa domina ei dixit: "Cur jaces? curre ad ecclesiam!" quæ statim ut potuit reptando velocius intravit monasterium præfatamque pervenit ad tumbam. Sed quia loqui lingua non poterat, devoto affectu cordis orabat, ut ei sanitas linguæ pedumque a Domino donaretur. Et statim, soluto linguæ ipsius vinculo, loquebatur, usu quoque pedum sibi reddito, quæ trahendo se super terram advenerat, sabbato infra octavam Pentecostes ambulans et laudans Deum ad mansionem pristinam remeabat.

[116] [et Snegulæ Wratislaviensi.] Snegula, uxor Adæ de Wratislavia, dum quadam vice in die Sancti Laurentii Martyris in silva nuces colligeret avellanas, subito in

lingua, manibus et pedibus paralyti est percussa, insuper perdidit tunc sensum auditus. His ergo oppressa doloribus per annum decubuit, ita quod absque aliorum adminiculo se de loco movere non potuit nec cibum sumere valuit, nisi manibus alienis sibi porrectum. Dominus autem Bertholdus, tunc plebanus Trebnicensis, qui eidem fœminæ sacramenta ecclesiastica ministraverat consuluit, ut deferretur ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum in spe sanitatis per ipsius Sanctæ merita impetrandæ, ex quo sibi alia curationis antidota omnino deficere viderentur. Audito vero consilio pietatis et sano, mater ejusdem Snegulæ, Beliza nomine, cum alia religiosa fœmina, nomine Juttha, filiam ad Sanctæ Hedwigis in uno liteamine detulit tumulum portandique vices sæpius iteravit. Tempore autem Quadragesimæ in dominica, qua cantatur ad introitum Missæ: Lætare Jerusalem et cetera, deportatam ac depositam filiam ad sepulcrum, mater sic dicens orabat et invocabat suppliciter Sanctam Dei: "Domina Sancta Hedwigis, digneris adesse filiæ meæ." Et dum tam diu perseveraret in prece, donec completis divinis officiis homines pro claudendis foribus templi de ecclesia pellerentur, mater, ut efferret invalidam filiam domumque cum ipsa pergeret, apprehendit. Quæ subito, voce et loquela sibi restituta a Domino, exclamavit et dixit: "Mater, mater, tu me interficis quia nescis, quod bene agitur mecum." Deinde surgens, ab omni, qua diu detenta fuerat, ægitudine libera et a surditate curata per Sanctæ Hedwigis suffragia, domum absque bajulo est reversa: completis quoque postmodum tribus annis, viro matrimonialiter est conjuncta.

[117] [Curantur manus Petri de Socolnitz,] Petrus de Socolnicz in una domo simul oves et alia pecora sua servabat. Quadam vero die vidit inter jam dictas oves ovem unam debilem, et putabat eam ab aliis pecoribus conculcatam et sic viribus destitutam, unde ipsam occidens comedit cum familia et de carnibus illis tam ipse

quam omnes, qui ex ipsis comederant, fuerunt periculosissime infirmati. Nam alii spasmati, alii contracti sunt, quidam vero et specialiter tres pueri ex ipso carnis edulio sunt defuncti. Ipse autem Petrus infirmitatem quidem evasit, quam incurrerat, sed in ambabus sic spasmatum fuit manibus et contractus, ut digiti manuum ejus curvati adhærerent juncturis, quæ sunt inter manus et brachium, quapropter ipsum pasci oportuit manibus aliorum. Rememorans autem Beatæ Hedwigis clementiam, cujus fama sanctitatis jam tunc diffusa per circuitum ad se invocandam plurimos attrahebat, ipsius invocavit auxilium et votum vovit, dicens corde devoto: "Beata Hedwigis, redde mihi manuum mearum necessarium usum et ego tuum laborando pedibus meis adibo sepulcrum." Ut autem suo non fraudaretur desiderio, satagebat omnem subterfugere obicem, gratiæ resistantem. Unde accedens ad virum maturum, dominum Michaelem, plebanum de Costhomloth, ei non solum corporis, verum etiam cordis sui detexit languores, confessionem suorum sibi faciens peccatorum, recitans eidem seriusus eventum facti, secundum quod acciderat, et benedictione ab ipso accepta, ut votum expleret, iter arripuit. Dum ergo in via positus esset, manus ipsius, quæ per quatuor hebdomadas contractæ fuerant, subito sunt distentæ ipsoque tandem ad tumulum pertingente, plenariæ sanitati sunt redditæ.

[118] [Simonis Wratislaviensis,] Simon, civis Wratislaviensis, filium habuit nomine Simonem, manus habentem inflatura turgidas ac dependentes ab ulnis inferius, ita quod eas neque levare nec ori suo poterat aliquantulum applicare, manibus quapropter ipsum cibari oportuit alienis. Cum autem plurimæ sibi fuissent adhibitæ medicinæ ac per chirurgicos sectus esset ratione medelæ, nec ei profuissent in aliquo, sed semper deterius habuisset, mater ipsius, domina Christina, voto facto eum ad Sanctæ Hedwigis tumulum deducere

studuit, ibique tam ipsa quam aliæ duæ honestæ matronæ suæ consanguineæ, Bertradis scilicet et Christina, quæ simul illuc pervenerant, viva voce dicebant: "Beata Hedwigis, sana puerum istum, vel, si tibi hoc non placet, age apud Deum, ut hic celerius moriatur, antequam ad propria redeamus." Reputabant namque, fore commodius per mortem ejus a vexationibus redimi, quam cum ipsius languore diutius occupari. Quarum Deus vota per Sanctæ Hedwigis interventionem exaudiens extemplo sanavit in manibus puerum in die Sancti Calixti, qui a festo Beati Jacobi Apostoli ea eodem anno cœperat infirmari. Sic vero sanatus Wratislaviam cum amicorum gaudio atque solatio est reductus.

[119] [mulieris Pomeranæ] Muliercula quædam satis annosa, de terra Pomeraniæ, plus quam tredecim annis manum aridam habuit et contractam sicque suo adhærentem et impressam fortiter fœmori, quod abinde nullatenus poterat amoveri. Audita vero fama miraculorum Beatæ Hedwigis, in Trebnicz pervevit cum multis hominibus, qui similiter fuerant profecti de Pomerania, ad præfatæ Sanctæ Hedwigis limina visitanda. Coram quibus omnibus, virtute Omnipotens Dei, manus a fœmore ejus soluta extitit et sanata, dum orationem faceret ad Sanctæ sepulcrum. Accedens ergo frater Lambinus de Ordine Prædicatorum, qui tunc temporis in Trebnicz erat, diligenter investigavit genus ægritudinis et modum curationis, ut cognita veritate de facto miraculo securius posset testimonium perhibere. Illi vero homines, qui cum ægra advenerant fœmina, plus quam viginti numero, viva voce dicebant: "Hanc fœminam scimus, quod, sicut asserit, manum contractam fœmori conjunctam habuit primitus et nunc sanatam eam videmus." Ipsa quoque muliercula Fratri studiosius perscrutanti de singulis, ajebat: "Quod sim miraculose curata, satis constare vobis poterit per evidentia signa, nam manus mea, prius arida et contracta, est adhuc alia

manu mea gracilior et locus femoris, cui manus inhæsit, valliculam continet et habet cutem in colore ab alia cute corporis mei dissimilem. Hæc vobis, si complacet intueri, ostendo." Frater autem prædictus propter honestatem signum relictum in femore nolebat videre, credens verum esse, quod multi, qui viderant, asserebant, sed manum ejus intuitus eam abire permisit. Quæ post gratiarum actiones dum in Pomeraniam rediisset, quidam assumentes eam coram duce Pomeraniæ, qui tunc erat in castro Swetensi, duxerunt eique dixerunt: "Domine, [Col. 0252D] hæc fœmina hic nata est et cognovimus quali vinculo passionis ligata fuerit multis annis et nunc sana est et sanata meritis, ut asserit, Beatæ Hedwigis." Et sic pronuntiantes, passionem ejus per ordinem enarrabant, ostendebantque patrem ipsius fœminæ, qui præsens astabat et quæ illi recitabant de infirmitate et curatione filiæ suæ, hæc ipse dicebat indubitanter omnia vera esse. Dux ergo et ab ipsa et ab aliis audiens, quod per merita Sanctæ Hedwigis a tali fuerat ægritudine liberata, erumpens in lacrymas dixit præsentibus multis militibus et aliis quampluribus, qui illic convenerant: "Domine Deus meus, multum peccavi tibi, quia istam Sanctam videre non merui, dum in mortali viveret corpore, cum tamen sæpe in Polonia fuerim, ea adhuc vivente."

[120] [Adelheidis viduæ,] Adelheydis, relicta Volkmari de Legnicz, dextræ manus et totius brachii dextri ab humero usque ad digitos tanto vexabatur dolore, quod nec se velare, nec aliquid manu poterat tollere, neque ipsum brachium sublevare. Bogdanca vero, ipsius ancilla, ei dum opus erat, velamen imposuit et in aliis secundum indigentiam sedule ministravit. Sed cum multa sibi causa curationis adhibuisset remedia et minime profecisset, ad Beatæ se Hedwigis convertit auxilium invocandum, his verbis: "Beata Hedwigis! tu me dilexisti dum viveres, fac mecum modo misericordiam et restitue mihi brachium et manum meam." Rogavitque Henconem clypeatorem, ut

sibi manus et brachii usque ad cubitum formaret de cera similitudinem, ob reverentiam Sanctæ Hedwigis ad ipsius tumulum offerendam. Formata similitudine, junxit fœmina brachio suo ceram, manus et brachii sui imaginem exprimentem, et statim levius habuit cessavitque dolor, quem per sex hebdomadas continue passa fuit.

[121] [et Pribconis pueruli.] Pribco, puer septem annorum, manum habebat aridam et ex infirmitate ita confractam, quod ruptura ossis deforis apparebat. De cujus sanatione, quamvis spes nulla vel modica haberetur, avia tamen ejus et Radic de Pelazcovicz, consanguineus ejusdem pueri, dictum puerum in festo Sancti Bartholomæi Apostoli ad Sanctæ Hedwigis tumulum detulerunt, invocantes clementiam Domini, ut ei per merita Sanctæ suæ sanitatem tribuere dignaretur. Oratione completa, relicto puero juxta mausoleum, præfati portitores de ecclesia se sequestrare volentes, aliquantulum processerunt, sed, audito tumultu, subito revertentes invenerunt puerum, qui per quatuor annos infirmitatem prædictam sustinuerat, restitutum plenariæ sanitati. De passione quoque manuum plures alii curati sunt, videlicet Gotfridus, require de paraliticis miraculum secundum; item Bratumila, require de dæmoniis miraculum tertium: item Sdeslava, require de paraliticis miraculum quartum; item Stronizlava, require de infistulatis miraculo secundo .

[122] [Ab infirmitate pedum liberati, Albertus de Pruziez.] Henricus, filius Alberti judicis de Pruzicz, a nativitate sua usque ad octavum annum habuit tibias tam exiles, ut vix se extendere ad quantitatem parvæ, in qua canitur, fistule viderentur, et non solum pedum, sed etiam renum officio caruit, unde nec stare nec ire præ nimia imbecillitate poterat nec sedere. Aliquando tamen, dum de loco ad locum moveri appeteret, manu se juvando reptabat. Mater autem ipsius, nomine Beatrix, honesta utique matrona, anxia pro sanitate filii rehabenda, vovit

Beatæ Mariæ Virgini, quod quamdiu viveret, diem sabbati ad ipsius honorem vellet jejunio colere, si ejus filium dignaretur curare. Votum hoc emissum, quamvis cum multa studeret adimplere diligentia, secundum tamen suum non meruit exaudiri desiderium, Deo in hoc aliquid melius providente, ut sic et dilata desideria crescerent et Beatæ Hedwigis gloria evidentius aperto in miraculo appareret. Nec tamen devota fœmina perdidit servitium illud, quod devote ipsi gloriosæ exhibuit Virgini, quia Beata Virgo, desiderium ipsius prorogando et preces ejus non statim exaudiendo, etiam voluit eam facere devotam Beatæ Hedwigi, quod sic factum est. Per somnium namque fuit admonita, ut filium suum imbecillem ad Sanctæ Hedwigis deportaret sepulcrum et devote pro sanitate ipsius ejusdem Sanctæ invocaret auxilium. Fecit mulier, ut divino fuerat edocta oraculo, puerumque deferens ad mausoleum, sic dicens oravit: "Beata Hedwigis, digneris sanare puerum meum, quem si sanaveris, ego voveo et promitto tibi, quod eum faciam litteris imbui et tuo ipsum servitio perpetuo mancipari." Dum sic pro filio mater sollicita preces effunderet, domina Petronilla, abbatissa in Trebnicz, dominoque Bertoldo plebano Trebnicensi, qui eundem baptizaverat puerum, et aliis multis præsentibus, puer se subito elevans appodiavit sepulcro stansque erectus accipit ovum, ibidem coram se positum, et gaudens circuibat sepulcrum. Domina vero Petronilla, tunc custos sepulcri, aliud pictum ovum accipiens projiciensque ante puerum, impulit illud remotius a sepulcro, pro quo similiter accipiendo puerulus ivit et ad matrem suam gradiens rediit. Ob gradiendi autem inconsuetudinem et propter tiliarum nimiam gracilitatem nondum valebat perfecte corpusculum sustentare. Sanatus autem per Sanctæ Hedwigis merita infra hebdomadam Paschæ feria quarta cum matre incolumis ad hospitium rediit ipsiusque tibicæ deinceps incrementum sumpsere secundum debitam proportionem. Totus quoque puer, qui per septem annos

vix pervenerat ad staturam pueri, duos annos habentis, infra biennium excrevit in tantum, ut in quantitate novem annos ætatis habenti puero æquaretur, sanus existens et agilis, Domino concedente.

[123] [Juttha Wratislaviensis,] Juttha, uxor Jacobi, civis Wratislaviensis, Budisin Mynsensis diœcesis oriunda, per guttam sic contractos pedes habebat, quod eos non valebat extendere. Et quia ob hanc causam continue eam oportebat jacere, utrumque femur ipsius computruerat et vermibus plenum erat, de quo non modica fœtoris materia per totum ipsius domiculum spargebatur. Portabatur autem a viro suo vel ab aliis quocumque necessitas requirebat. Voto vero emisso, ut ad Beatæ Hedwigis pertingeret tumulum, maritus eam, vehiculo impositam, illuc usque perduxit, ubi etiam hanc orationem fudit, suppliciter dicens: "Sancta Hedwigis, adjuva me afflictam, ut pedum passionem evadam, ita ut ambulando inter homines incedere valeam. Beata Hedwigis, rogo te per sanctitatem tuamque copiosissimam pietatem, ut me ab hac ægritudine digneris sanare." Oratione completa in die Bartholomæi Apostoli surrexit a tumulo fœmina plene sana, vecturaque, in qua pervenerat ad tumbam Sanctæ, relicta, peditando Wratislaviam rediit et ad propriam mansionem, quæ per annum integrum potentia gradiendi caruerat, ambulando pervenit.

[124] [Cuno Gallicus, Wratislaviensis,] Cuno Gallicus, civis Wratislaviensis, filiam habuit nomine Margaretam, quæ a sua juventute pedes et tibias ita molles habebat, quod esse absque ossibus putabantur. Cui et aliud supervenit incommodum, nam dum duos et dimidium haberet annos ætatis, excrevit in ea gibber inmanis, totum occupans pectus ejus. His ergo depressa naturæ defectibus, toto tempore vitæ suæ nec stare poterat nec sedere, sed jacebat continue, et dum mater eam supra pedes statuere conaretur, frendebat dentibus præ dolore. Qua

de causa ipsa genitrix ejus, nomine Catharina, sæpius quando eam intuebatur, percussa compassionis jaculo, lacrymas effundebat. Confisa tamen de Sanctæ Hedwigis suffragio conditionaliter vovit, dicens: "Beata Hedwigis, si filiæ meæ sanitatem impetraveris et me de tanto labore corporis et ab anxietate spiritus liberaveris, festivitatis tuæ vigiliam, annis singulis, jejunabo, quamdiu eadem mea supervixerit filia." Voto emisso, maritus cum uxore filiam assumentes ad Sanctæ Hedwigis tumulum properabant. Mater vero majori succensa devotionis fervore, quamvis gravida esset, dictam filiam, humeris suis impositam, pergens in itinere bajulavit. Pervenientes autem ad sepulcrum puellam deposuerunt ibidem, patre longius recedente propter multitudinem illic existentium fœminarum, cum quibus se premere noluit. Mater apud filiam suam mansit et Beatam Hedwigim, sic inquires, invocavit: "Domina mea Beata Hedwigis, per tuam magnam virtutem, quam habes et per merita, quibus es prædita apud Deum, redde mihi peccatrici lætitiã sanando filiam meam." Dum sic instanter oraret cum lacrymis, ipsa puella subito se apodians tumbæ surrexit et absque difficultate coram omni congregata illic multitudine ambulavit.

[125] [Rudgerus Teutonicus,] Rudgerus, Theutonicus de Mynsensi diœcesi oriundus, pedes contractos habebat et aridos in tantum, quod nec tactum sensit nec frigus. Propter defectum ergo rerum et virium ab amicis omnibus derelictus, hinc inde rependo per annos quatuor mendicabat. Quidam autem, pietatis intuitu, eum ad Sanctæ Hedwigis deduxit sepulcrum. Ubi dum moram faceret aliquamdiu et oraret, ut ei a Domino per Sanctæ Hedwigis merita sanitas redderetur, nec tamen ipsius exaudiretur oratio, ad villam, de qua venerat prope Stregom, Pascurove nuncupatam, revertentes, Beatæ Hedwigis auxilium non destitit invocare. Quadam ergo nocte post factam orationem nervi pedum ejus ipsique

pedes cœperunt extendi et tactum sentire, et sanatus est homo gressusque sibi restitutus est die septimo, postquam redierat a sepulcro.

[126] [Joannes puer Beroldivillanus] Johannes puer, a Beroldivilla II trahens originem, pedes habens contractos, nusquam procedere poterat de loco ad locum. Mater ergo ipsius, Helwiga nomine, in curru eum deduxit in Trebnicz et a vehiculo tandem acceptum portavit eum in humeris suis usque ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum eumque desuper ponens, de prope stans orabat et hæc dicens, vovebat: "Sancta Hedwigis, ego tibi voveo, me semper in viduitate victuram, sana tantummodo filium meum." Tandem dixit ad filium: "Move te, fili, et surge!" Qui respondens: "Non possum," inquit, "quia doleo crura mea." Surrexit tamen celerius et quasi rumperentur, nervi ejus, reddebant stridorem, se dum erigeret ad eundum. Sicque puer ille, præsentem domino Giselberto, custodem Trebnicensem, et aliis multis, sanatus est ab ea, quam a nativitate sua usque ad quinquennium in pedibus sustinuerat, passione. Qui postmodum ad scholas missus litteras didicit materque ipsius, votum exsolvens, in viduitate permansit.

[127] [Bratumila, ex ducatu Opoliensi] Bratumila, puella, de Croscina, villa ducatus Opoliensis, trahens originem, pedum officio penitus caruit, quia a renibus et infra totum corpus ipsius fuit totaliter ariditate quadam consumptum, Ideo etiam, necessitate cogente, moveri de loco non poterat, nisi ab aliquo deportata fuisset. Invalescente autem fama miraculorum, quæ per Beatam Hedwigim operari dignabatur clementia Salvatoris, ad consilium hominum, Deum diligentium, parentes ipsius puellæ deduxerunt eam competenti vectura ad jam dictæ Sanctæ sepulcrum, ubi Christi gratia invocata, puella per Sanctæ Hedwigis merita non quidem ex integro, sed a pedibus tantum usque ad genua est sanata. Quæ sic

reducta, rependo tandem super genua transferre se poterat, quo volebat. Potens utique Deus erat puellæ statim integram restituere sanitatem, sed ad hoc differre disposuit, ut, dilato desiderio, multiplicaretur oratio et sic tandem postulantium precibus annuens, novo miraculo Beatæ Hedwigis sanctitatem copiosius faceret manifestam. Unde revoluto anni circulo, postquam in parte curata fuerat præfata puella, denuo a parentibus ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum deducitur ut plene sanetur a Deo devotius postulatur. Deus autem, cujus est proprium misereri petentibus, per Sanctæ Hedwigis merita misericorditer affuit et puellam integraliter a suis passionibus liberavit, ita quod exiliens ambulavit, quæ a sua nativitate usque ad septennium inclusive numquam valebat pedes suos ad gradiendum movere.

[128] [et Milozlava Legnicensis.] Milozlava, puella de Legnicensi castellatura, magnum corpus et flavos crines comasque magnas habens, sed pedes ac tibias claudas, ita quod non nisi rependo quo voluit movebatur: hæc ad sepulcrum Sanctæ Hedwigis in Trebnicz perveniens, reptabat, sæpissime et per intercessionem ipsius Sanctæ sanitatem sibi donandam a Deo, ibidem faciendo moram diutius expectabat. Quam videns dominus Gaudentius, plebanus de Sadalno, illic reptantem atque divinum præstolantem auxilium, dixit: "Beata Hedwigis, si hanc puellam sanaveris, amodo credam miraculis tuis, quod in veritate tuo fiant merito sanctitatis." Dum autem diu moram faceret juxta tumbam, nec post tempora multa ei donaretur sanitas concupita, domina Petronilla, tunc custos sepulchri Sanctæ Hedwigis, postmodum abbatisa Trebnicensis monasterii, indignata jussit eam a tumba recedere dicens: "Tu vides, quod Deus te non dignatur juvare, quapropter hic expectando non facito amodo moras, ne amplioem nobis verecundiam inferas, dum hic in omnium oculis frustrata tuo, ut videtur, desiderio volutaris." At illa, quamvis repulsam taliter pateretur,

nihilominus permanebat, divinam consolationem exspectans et quærens a Domino gratiam sanitatis. Et quia remansit ut quæreret, contigit ut inveniret. Nam in die Sancti Calixti Papæ et Martyris, quando erat anniversarius Beatæ Hedwigis, dicta puella, quæ in festo Sancti Jacobi Apostoli præcedenti eodem anno pervenerat in Trebnicz, liberata est ab impotentia gradiendi, quam a nativitate sua per viginti annos sustinuerat, et coram domina Gertrude, Trebnicensi abbatissa, ac sororibus Razlava, Petronilla prædicta, multis quoque aliis præsentibus et videntibus, sana surrexit, collaudansque Deum recessit. Quo viso miraculo frater Giselbertus, custos Trebnicensis, procuravit: Te Deum laudamus, solemniter decantari. De passione pedum plures alii curati sunt per Sanctæ Hedwigis auxilium videlicet Siffridus, require de paralyticis miraculo primo; item Magusca, require de mutis, miraculo primo; item Adelheydis, require de gibbosis, miraculo secundo; item Laurentius, require de infistulatis, miraculo primo.

[129] [Manus simul et pedes sanantur, Wencemilo,] Vencemil de Mechouice adolescens, habens annos circiter decem et octo, totaliter in manibus et pedibus erat contractus, ita quod semper eum jacere oportuit, nec cibari valuit, nisi manibus alienis. Hoc autem incommodum a Quinquagesima usque ad proximum sequens festum Beati Bartholomæi sustinuit, in ipsa namque festivitate per patrem suum deductus in curru pervenit in Trebnicz, sperans, Sanctæ Hedwigis interveniente suffragio, liber fieri ab incommodo supradicto. Sed Dominus curationem ipsius aliquantulum differebat, ut ex ipsa mora probaretur, si devotio ejus foret continua, vel si spes, quam de meritis Sanctæ Hedwigis habuit, esset efficaciter perseverans et vera. Unde sequenti die, dum ad sepulcrum non recepisset gratiam sanitatis, pater filium denuo locavit in curru et ad

propria festinavit. Non tamen cessavit æger invocare Dominum et Sanctam ejus, quamvis procederet in vectura. Et ecce, priusquam egressus fuisset septa curiæ claustrum, apparente adhuc ecclesia Sancti Bartholomæi, currus, in quo æger homo sedebat et Dominum Sanctamque Hedwigim invocabat, casu evertitur, et languidus cadens in terram a suis languoribus penitus liberatur, surrexitque sanus in manibus atque pedibus, excepto eo, quod in uno pede et manu pro signo infirmitatis præteritæ aliquæ languoris reliquiæ remanserunt.

[130] [et Nicolao, Ordinis Prædicatorum.] Frater Nicolaus Ordinis Prædicatorum, cum tempore quodam esset in Bresno, Gneznensis diœcesis, ut ibidem prædicationis officium exerceret, dormiebat una nocte et socius ejus, nomine Richardus, in quadam cemenata, ubi in camino pro eis erat ignis compositus. Et ecce, titio, succensus ab igne, corruens paleam in pavementum prostratam accendit, flammaque invalescens totam domum illam, in qua quiescebant, consumptura celerius invadebat. Dum ergo Fratres viderent se in periculo positos, prædictus Frater Nicolaus flammam ingrediens, manibus ac pedibus nudis accensam paleam extinguebat. Extincto vero igne, incendium in membris illis, quibus flammam extinguendo tetigerat, non modicum reliquit dolorem. Quem ut evaderet, Beatam Virginem ter salutando supplex orabat; Beatam quoque Hedwigim, cujus tam miracula multa audierat, ter flectendo genua sic inquam invocabat: "Beata Hedwigis, libera me ab isto dolore, quem patior." Oratione facta se denuo ad quiescendum deposuit pustulasque magnas in manibus habens ac pedibus obdormivit, post somnumque expergefactus, nullum sensit dolorem, sed adeo sanus erat ac si numquam fuisset adustus. Hoc factum contigit anno domini MCCLXIII in Quadragesima. Plures quoque alii sunt curati per merita Sanctæ Hedwigis de passione pedum ac manuum,

videlicet Snegula, require de mutis, miraculo secundo; item Nenkerus, require de paralyticis, miraculo tertio; item Idka, require de dissentericis, miraculo primo.

[131] [Contracti curantur, Sestremilus Wratislaviensis,] Sestremil, in Wratislavia manens, omnino fuit contractus, gutta namque spinam dorsi ejus confregerat et eum effecerat ad ambulandum penitus impotentem. Uxor autem ipsius, Crisca et alia fœmina, nomine Sczarnucha, ipsum portabant quotidie ante fores ecclesiæ Fratrum Prædicatorum, ut a transeuntibus eleemosynam, quia pauper erat, acciperet, ad alia quoque loca secundum indigentiam suam tempore opportuno eum ferebant. Tandem, inspirante Deo, votum vovit taliter dicens: "Beata Hedwigis, et si aliter nequeo, tuum tamen sepulcrum rependo et me trahendo manibus visitabo, tu quoque me dignare ab hac impotentia liberare, aut saltem hanc mecum digneris gratiam facere, ut crura pedesque meos ad me valeam applicare." Erant enim prædicti pedes cum cruribus aridi et veluti lignum inflexibiles et nisi per alium componerentur ad ipsum, dum extenti jacebant, eos ad se retrahere non valebat. Levavit ergo se, voto emisso, ut perficeret, quomodo posset, quod promiserat et feria III ante festum Rogationum, reptando de Wratislavia exiens, feria sexta sequenti pervenit in Wesnam, locum non plene a Trebnicz per milliare distantem. In ipso loco, aut in proximo monte, de quo videri poterat ecclesia Beati Bartholomæi, in qua Sanctæ Hedwigis corpus conditum requiescit, recepit plenariam sanitatem. Procedens autem, Sanctæ Hedwigis visitavit sepulcrum et gratias agens Deo, die tertio reversus Wratislaviam, in admirationem mentes convertit multorum, qui eum prius contractum et miserabilem noverant, divinamque misericordiam et jam dictæ Sanctæ, in eo quod contigerat, merita cognoscentes, pro facto miraculo Dominum benedicebant.

[132] [mulier Pomerana,] Mulier quædam, in Swece Wladislaviensis diœcesis et terra Pomeraniæ manens, tam enormiter incurvata extitit et contracta, quod dum aliquo deberet procedere, pectus suum fere genibus propriis contingebat. Quæ, voto emisso, levavit se ad Sanctæ Hedwigis limina visitanda circa festum Assumptionis Beatæ Virginis et baculo sustentata processit de die vix per dimidium milliare. Sicque paulatim progrediendo, dum ultra Milicz venisset, et adhuc in Trebnicz sibi restarent ad eundum milliaria quatuor, Beatæ Hedwigis ei opitulante merito, erecta est a Domino et plene sanata. Processit ergo lætabunda et laudans et Sanctæ Hedwigis, ut promiserat, cum gratiarum actione visitavit sepulcrum, reversaque est in domum suam, unde exierat de Swecz, secum portans munus plenariæ sanitatis, qua caruerat plus quam anno. Addidit quoque Dominus jam dicto miraculo miraculum aliud. Nam præfata mulier, postquam sanata est et rediit ad partes ubi nota fuit, multo pulchrior apparuit, quam esset antequam prædictam ægritudinem incidisset. Et quia eadem fœmina prius visa fuerat totaliter languida, non solum a communi populo verum etiam ab ipso duce Pomeraniæ Swentopolco et a filio suo nec non et a palatino et ab aliis nobilibus multis, reversaque videbatur cum sanitate integra et inopinabili, sinistra opinio penitus ab omnium cordibus pellebatur, neque locum habere poterat deceptorica fictio, ubi probata veritas extitit in aperto.

[133] [et Razlavus pauper.] Quidam vir pauper, nomine Razlavus, divino castigatus flagello, diu jacebat contractus, quem Crisca uxor ejus, ad petendum a transeuntibus eleemosynam frequenter portabat Wratizlaviæ ad Sancti Alberti ecclesiam: tandem bono usus consilio, vovit se Sanctæ Hedwigis limina visitare, si forte per ejusdem Sanctæ patrocinium Deus ei dignaretur sanitatem restituere. Et quoniam propter inopiam non

valebat habere vecturam, rependo manibusque trahendo posuit se ad viam, ut votum expleret emissum. Dum ergo esset in itinere, quod arripuerat pro eo, ut ipsius Sanctæ adiens tumulum, ejus auxilium efficacius invocaret, cum magno dolore nervos et ossa sua, quasi rumperentur, sentiebat extendi. Et sic alleviatus processit ad jam dictæ Sanctæ sepulcrum, ubi per ipsius suffragia sanitatem adeptus plenariam incolumis postmodum Sanctorum visitavit limina Apostolorum. Plures alii contracti curati sunt per merita Sanctæ Hedwigis, videlicet Pribislava, require in sequenti de gibbosis, miraculo primo; item Adelheydis, require ibidem, miraculo secundo

.

[134] [Gibbosæ, Pribislava] Pribislava, manens Wratizlaviæ in domo Zanstogoi, contracta fuit plus quam per biennium, et ex ipsa contractione gibbum habebat a tergo prominentem ad unius ollæ magnitudinem. Audiens autem mater ipsius miracula, quæ Deus operabatur per Sanctæ Hedwigis merita in diversis partibus, tulit ipsam filiam suam et ad Sanctæ Hedwigis tumulum properavit, illucque in festo Beati Bartholomæi perveniens, ibidem consolata non modicum exstitit in eo præcipue, quod filiam ejus quam contractam adduxerat et gibbosam, statim curata ab utroque incommodo per ipsius Sanctæ Hedwigis auxilium libera fuit.

[135] [et Adelheidis sanantur.] Adelheydis, puella septem annorum, filia Methze de Wratizlavia, contracta fuit in pedibus et in tantum curvata, quod se movere non poterat ex diutinaque recurvatione facta fuit gibbosa. Cumque diversarum medicinarum ope juvari non posset, vovit mater, eam se ducturam ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum, quod et fecit; ipsamque juxta illud deposuit atque cum lacrymis pro sanitate ipsius Beatæ Hedwigis auxilium invocavit. Affuit autem subito flenti fœminæ et oranti divina consolatio. Nam puella, pro cujus curatione mater

flebat et orabat, sepulcrum apprehendens se levavit stetitque super pedes suos et pergere cœpit, quæ a festo Beati Martini episcopi et Confessoris usque ad tertium diem post festum Beati Johannis Baptistæ sequentem anno eodem clauda simul fuerat et gibbosa. Et recuperata sanitate integra utriusque defectabilitatis, domum cum matris gaudio rediit, modicum tamen ipsius gibbi vestigium in ea remansit, sic forte providentia disponente divina, ut postmodum patrati certitudo miraculi evidentius valeret ad Beatæ Hedwigis commendandam sanctitatem ostendi. Plures quoque alii gibbosi curati sunt per Sanctæ Hedwigis patrocinium scilicet Margareta, require supra, de infirmitate pedum, miraculo tertio III.

[136] [Paralytici curati, Suffridus Wratislaviensis,] Siffridus, civis et frater judicis Wratizlaviensis, percussus fuit paralyti in parte dextera, ita quod in pede dextro ambulare non poterat et illa pars percussa, sic erat repleta foraminibus ac si subula perforata fuisset, in ipsaque parte omnino caruit corporis cute. Et cum multorum habuisset et magnorum consilium medicorum, multaque expendisset propter medicamina nec aliqua sibi ad prædictos languores repellendos proficeret medicina, conjugis suæ, dominæ Bertradis, usus consilio, ad divinum se convertit auxilium requirendum, ad quod etiam facilius impetrandum, Beatæ Hedwigis vovit ad tumulum se venturum. De Wratizlavia ergo processit in vehiculo versus Trebnicz, illucque perveniens, duobus eum viris ducentibus, ad sepulcrum Sanctæ Hedwigis accessit in die translationis Beati Bartholomæi Apostoli et se totum super illud deposuit, flensque amarissime sic dicens, oravit: "Beata Hedwigis, digneris me miserum adjuvare et a doloribus istis eruere." Oratione finita, statim homo, qui anno et dimidio miserabili dolore fuerat cruciatus, aspicientibus pluribus de claustro Trebnicensi dominabus et aliis multis præsentibus, surrexit subito

sanus et ab omni illa ægritudine divina providentia per Sanctæ Hedwigis merita liberatus.

[137] [Gotfridus de Cosmin,] Gotfridus de Cosmin, oppido Poloniæ, febrem acutam inciderat, quam dum nimis graviter per dies quindecim pateretur, Beatam invocavit Hedwigim et votum ei faciens ajebat: "Domina mea Sancta Hedwigis, adjuva me impetraque mihi a Domino sanitatem et ego tuum peditando sepulcrum adibo." Voto emisso, a passione febris remissius habuit, sed paralyti percussus officium et motum manuum perdidit, in quibus tanto cruciabatur dolore, quod magis mori appetiit, quam diutius tormento tam vehementis affligi doloris. Unde quibusdam eum in illa ægritudine visitantibus pro munere exhibuit equum suum, si ipsum occiderent, et sic a dolorum aculeis, quos sustinuit liberarent. Sed quia nullus hoc opus nefarium aggredi voluit, sicut nec debuit, Beatum cœpit invocare Stanizlaum eique vota offerre, ut sibi succurrere dignaretur. Dum autem nec sic proficeret, sed magis ac magis prædicta tortura invalesceret, iterato ad Beatam Hedwigim cordis sui convertit suspirium votumque faciens, ipsius ad tumulum se promisit venturum. Germanum quoque suum, nomine Theodericum, ad hoc precibus impulit, quod illuc eundi secum laborem assumpsit. Qui dum pariter procedentes de itinere quatuor explevissent milliaria, in via se reficiendi gratia resederunt. Gotfridus vero, quia manibus propriis uti non poterat, fratrem suum, pro refectione bolos formantem, residens intendebat. Facto ergo modico intervallo, idem æger aspiciens et a germano cibationem expectans, exclamare cœpit et dicere: "Frater carissime! jam sentio, quod in manibus meis per gratiam Dei et meritis Beatæ Hedwigis melius habeo." Et continuo manum extendens panem accepit et ori proprio ad comedendum imposuit, levatisque statim ad cælum manibus dixit: "Gratias tibi ago, Domine Deus, et Beatæ Hedwigi, quia manuum mearum usum nunc resumo et officium, quo diutius fueram

destitutus." Deinde ultra progredientes et expleto itinere, duobus diebus ante festum Sancti Vincentii episcopi in Trebnicz ad Sanctæ Hedwigis pervenerunt sepulcrum. Ubi dum Gotfridus se prosterneret in oratione et diceret: "Beata Hedwigis, rogo te, ut tuis me digneris meritis adjuvare et pro me ad Dominum intercedere," subito sensit se quasi perfusum de calida aqua et sic, fratre suo et aliis pluribus, qui secum in via fuerant, similiter peregrinis præsentibus, a passione, quam per quatuor menses sustinuerat in manibus et in toto corpore suo fuit plane sanatus.

[138] [Wislavæ nepos Nenkerus,] Domina Wislava, uxor Ulrici, subdapiferi domini Henrici, ducis Slesię, nepotem quemdam Nenkerum nomine habuit, qui in sua pueritia ex quadam infirmitate in una manu et in uno pede paralytim incurrit tam graviter, quod nec ope medicorum nec unctionibus unguentorum neque remediis quibuscumque, hominum arte appositis, poterat adjuvari. Mater ergo vovit eum ad Sanctæ Hedwigis mausoleum deferendum. Quo dum deportatus fuisset et desuper positus, continuo quidem evasit jam dictorum tremorem membrorum, sed reductus ad hospitium, facto brevi intervallo temporis recidivum passus, in eadem relapsus est ægitudine, sic forte Domino disponente, ut Deus denuo invocatus per merita Sanctæ Hedwigis et suam potentiam atque misericordiam esse magnam ostenderet et virtutem sanctitatis Beatæ Hedwigis novo miraculo abundantius humano generi declararet. Unde prædicta mater, postquam sensit recidivasse filium, iterato eum ad Sanctæ Hedwigis reportavit sepulcrum, fuisque ibidem ex cordis desiderio lacrimis, multiplicare preces supplicationesque non destitit, donec filio memorato in eodem loco sanitatem plenariam impetravit. Nam statim, quidquid ei ad accipiendum exhibitum fuit et accipere potuit et tenere, rediitque sanus, qui per duos annos et dimidium prædicta infirmitate fuerat fatigatus.

[139] [et Sdezlava puerpera.] Sdezlava, uxor Matthæi de Thincia, existens in puerperio proxima feria sexta post diem Cinerum, in manibus pedibusque ita fuit percussa paralyti, quod de manu aliena eam oportuit et per calamum liquoribus recreari. Magnis quoque affligebatur doloribus, si quandoque propter necessitatem aliquo movebatur. Jacebat enim continue et dum mota seu alicubi portata vel girata fuisset ad alteram partem etiam hoc, pro lenitate si fiebat in linteamine, vix poterat sustinere. In his ergo afflictionibus deduxit tempus usque ad festum Beati Georgii Martyris, in quo festo, quia jam appropinquare videbatur ad finem, extremæ sibi fuit unctionis ministratum salvificum sacramentum. Nocte vero quadam ei quædam in somnis apparuit venerabilis domina in religioso habitu, dicens: "Vade, visita sepulcrum Beatæ Hedwigis et curaberis." Quæ expergefata viro narravit, quæ viderat et audierat dormiens et petivit instanter, ut secundum quod revelatio præfata docuerat, eam ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum deduceret festinanter. Recusabat autem maritus, uxoris adimplere desiderium, timens ne si moreretur in via, homines dicerent, quod mortem ipsius voluntarie accelerasset, et sic improvide actitando famæ suæ neglector existeret; putabatur namque ab omnibus ipsa foemina subito moritura. Prævaluit nihilominus mulieris importuna petitio et vir, de amicorum consilio, uxorem languidam usque ad mortem, in Trebnicz transmisit cum comitiva decenti, filium enim et filiam et duos famulos ei adjunxit. Hi ergo cum ante Trebnicense cum vectura pervenissent monasterium, in sede ponentes eam ad Sanctæ Hedwigis tumulum portaverunt, ubi cum lacrymis aiebat: "Beata Hedwigis, subveni mihi in ægitudine hac laboranti." Multa quoque turba populi, quæ præsens tunc erat, ex compassione pro ipsa Dominum invocabat. Et statim a sepulcro ad modicam deportata distantiam, Sanctæ Hedwigis mediante auxilio, sanitatem recepit a Domino, currumque, in quo advenerat, absque

famulantium adminiculo, dum volebat abire, ascendens, ad propria rediit; et in via, postquam tria recedens a Sanctæ tumulo perrexisset milliaria, in vigilia Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, ab omni, quam eodem anno incurrerat, ægritudine extitit plenius liberata. Dum autem ad proprium intrasset domicilium, maritus ejus, videns eam sine juvamine de curru descendere, in quo a pluribus viris vix fuerat collocata, et sibi celeri gressu obviam venientem considerans, quam infra triduum emiserat semivivam, admiratione et gaudio est repletus. Festinabant quoque de tota villa homines concurrentes videre fœminam, quasi a mortuis suscitata, glorificabantque Deum ac Sanctæ Hedwigis merita devotione supplici extollebant. Plures alii paralytici Sanctæ Hedwigis auxilio sunt curati, videlicet Snegula, require de mutis, miraculo secundo.

[140] [A febrī Adelheidis Wratislaviensis liberatur:] Adelheidis, uxor Bernardi civis Wratislaviensis, febres quartanas patiebatur pluribus annis et multa pro eis evadendis expendit in medicis et medicinis, quæ sibi tamen minime profuerunt. Cum autem adverteret, quod curari non posset, Sanctæ Hedwigi votum faciens ad ipsius accessit sepulcrum, orans et dicens: "Beata Hedwigis, si alicujus es meriti apud Deum, de ista quam patior me absolve quartana." Sed incassum laboraverat, quia febres, quas veniens ad tumbam attulerat, abiens secum portabat. Laborem nihilominus semel factum aliquoties iteravit, nam quatuor vicibus Sanctæ Hedwigis visitavit mausoleum, quamvis desideratam abinde tunc reportare non meruerit sanitatem. Et non mirum si ægritudinem nequibat evadere corporis, quæ languorem voluntariæ retinuit mentis, cum ferrum, reclusum in vulnere, carnem prohibeat a plenaria sanitate. Ista namque mulier, ut postmodum fatebatur, semper dubitaverat, utrum Beatæ Hedwigis merita sibi possent ad sanitatem aliquammodo suffragari. Unde curationem

ipsius Dominus distulit, ut labores ejus tandem remuneraret duplici munere, dum videlicet, detecta ac sanata cordis ægritudine, languores similiter ipsius effugaret a carne. Admonita ergo per quamdam visionem a Domino, et sermone cujusdam viri religiosi non modicum confortata, qui eam docuit, spe firma Beatæ Hedwigis adire sepulcrum, omni diffidentiaæ abjecto velocius obice, quinta vice Sanctæ jam dictæ mausoleum adiit supplexque curationis antidotum postulavit, cum fiducia dicens: "Beata Hedwigis, libera me." Et ecce statim omnes digitorum manuum ipsius articuli cœperunt distendi cum magno dolore, moxque a febribus, quibus duodecim annis et viginti quatuor diebus fuerat languida, per Sanctæ Hedwigis auxilium plene extitit absoluta.

[141] [Epilepticæ, Beatrix de Prussicz] Beatrix, filia Sbilici militis de Prussicz, epylentica fuit. Quædum illa passione miserabili torqueretur, quæcumque rapere poterat, etiam sui vel alterius corporis carnem dentibus laniabat, et in tantum prævaluerat in ea morbus ille detestabilis, quod quandoque infra unius diei naturalis spatium, triginta vicibus sustinebat illud incommodum, nec ei prodesse poterant quævis remedia, sibi pro curatione apposita. Mater ergo ejus, domina Wencezlava, confidens de meritis Beatæ Hedwigis, voto facto, filiam in curru positam, ipsa vero peditando currum sequens, ad ejusdem Sanctæ tumulum venit filiamque desuper ponens, hæc dicens oravit: "Beata Hedwigis, sicut tu habes potestatem apud Deum et te credo utique fore Sanctam, adjuva filiam meam." Mox miserante Deo puella per intercessionem Sanctæ Hedwigis illam evasit ægritudinem, nec deinceps, quam duobus annis et amplius sustinuerat, sensit abominabilem passionem.

[142] [et Dobromira de Yeskotel liberantur.] Dobromir, filia Clementis, militis de Yeskotel, a sua nativitate caducum habuit morbum. Quod autem illo laboraret

morbo cognosci non poterat priusquam ætatem infantiae transcendisset et tantum processisset in diebus, quod valebat repere super terram. Bis vero aut ter, sæpius etiam quater in die, hoc incommodo vexabatur. Pater ergo cum matre puellæ nudis pedibus peregrinantes infra hebdomadam Pentecostes ad Sanctæ Hedwigis tumulum processerunt, pueroque super idem sepulcrum posito, invocabant Deum cum lacrymis, ut eum propter merita Sanctæ Hedwigis curare misericorditer dignaretur. Oratione completa, filiam omnino receperunt incolumem, ita quod in ipsa de cætero illius morbi horribilis numquam signum aliquod apparebat.

[143] [Ad sanam mentem revocantur, Adelheydis,] Adelheydis, privigna uxoris Hildebrandi, mente capta, vix etiam reclusa poterat detineri et multa dicebat se monstra videre. Quam dum Jutha, noverca ipsius, ob gratiam curationis duceret ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum, expletaque majori parte itineris pervenisset ad quemdam montem, de quo poterat videri ecclesia, in qua corpus Beatæ Hedwigis conditum requiescit, cœpit languida cum clamoribus dicere: "Jam hic ego submergor," cum tamen in eminentia montium posita nihil in vicino esset de aqua. Deducta nihilominus ad Sanctæ Hedwigis mausoleum, et orantibus pro ipsa multis, qui tunc affuerunt hominibus, statim liberata est a malo, quo quatuor hebdomadibus fuerat fatigata.

[144] [Frater Ordinis Prædicatorum] Frater quidam in Ordine Prædicatorum quasi freneticus erat. Quem frater alius ejusdem Ordinis ad Sanctæ Hedwigis deduxit sepulcrum. Ubi dum orationem pariter facerent, frater infirmus caput reclinans ad Sanctæ tumulum obdormivit et postmodum evigilans surrexit, ab ægritudine liberatus tam integre, quod eam de cætero numquam sensit.

[145] [Dobrozlava de Breulicz,] Dobrozlava, uxor Michaelis militis de Breulicz, quia maniaca erat et arreptitia, vinculis detinebatur ligata, ne vestes suas discerperet et alia quaecumque apprehenderet, dissiparet, nam ad quæ manus mittere poterat, crudeliter pertractabat. Si quandoque sibi offerebatur Crucis signaculum spuebat dentibusque frendebat, dum aliud facere non potuit contra ipsum. Deducta tandem fuit ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum, ibique pro ipsa oratione facta ad Dominum, in multorum præsentia per ejusdem Sanctæ suffragia a passione, quam a festo Sancti Viti usque ad festum Beati Bartholomæi eodem anno sustinuerat, exstitit, liberata.

[146] [et Bratumila ex villa Gelz.] Bratumila, uxor Wencezlai, in villa Gelz nomine commorantis, quadam die vidit, sibi in forma unius mendici dæmonem apparentem, quo viso, Crucis statim signaculo se munivit. Hostis autem antiquus adversus eam voce intonuit, inquit: "Quid contra nos moves hoc lignum?" Per lignum volens intelligi manum, qua se Crucem faciens benedixerat, ipsamque manum apprehendens compressit tam valide, quod omnes digitos ejus volæ impressit, et ex tunc manus illa exaruit impressique palmæ sic deinceps digiti permanserunt. Multas quoque hæc fœmina illusiones, tamque vehementes corporis afflictiones ab eodem salutis adversario est perpessa, quod ex toto fuit usu rationis privata. Nam ei dum nominarentur Sancti, aut Crux offerebatur, e contra sputum mittebat. Deducta vero ab amicis ad sepulcrum Sanctæ Hedwigis feria sexta infra paschalem hebdomadam illucque per octo dies, dum singulis diebus adducta fuisset, tandem liberata a dæmonio fuit et usum rationis rehabuit, Beatæ Hedwigis mediante juvamine, manu tamen ipsius, quam dæmon attigerat, arida remanente. Quam per biennium et amplius quia portabat inhabilem ad labores, maritus ejus non modicum ex hoc affectus tædio, eam ducens coram

Wratislaviensi episcopo, domino Thoma Primo, divortium petiit, allegans ipsam sibi fore inutilem pro auxilio opportuno. Episcopus autem, ut vir utique litteratus et prudens, ei respondit: "ex quo sanam accepisti etiam nunc servabis infirmam." Dominus quoque Bertoldus, Trebnicensis plebanus, quia archipresbyter erat, compulit virum eundem divortium petentem, præstare fidejussoriam cautionem, ne dmitteret fœminam propter manum, quam habuit aridam, cum hoc nullatenus ei de jure liceret. In tertio vero anno postquam liberata fuit a dæmonio, ad Sanctæ Hedwigis iterum properavit sepulcrum, si forte per ipsius Sanctæ auxilium manus suæ posset ariditatem evadere, et ob hanc causam dictum sepulcrum septem diebus continue visitavit, orans et dicens: "Sancta Hedwigis, tibi commendo animam meam corpusque meum et rogo, ut manus meæ mihi restituas sanitatem." Tandem misertus illius Dominus, Beatæ Hedwigis intercedentibus meritis, in ostio cappellæ, in qua corpus ejusdem Sanctæ sepultum ostenditur, manus jam dictæ ariditatem sua potentia celeriter circa festum Beati Jacobi Apostoli repulit et plenariam ei sospitatem donavit.

[147] [Curatæ, a fluxu sanguinis; Idca Wratislaviensis,] Idca, filia Lucæ, civis Wratislaviensis, dum esset cum jam dicto patre suo et matre sua, Helwiga nomine, apud avunculum suum in Ratebor, quæ civitas distat a Wratislavia per viginti Polonica miliaria, gravissimam dissenteriam incidit, qua vexabatur hebdomadibus sexdecim, ita quod de ipsius vita longiori dubium habebatur. Præterea in ipsa ægritudine aliud sibi flagellum superaddidit Dominus, sic ut nec manibus neque pedibus uti posset, dum enim pedes ejus applicari deberent corpori aut extendi, ciboque quando eam contigit refici, totum hoc oportuit manibus fieri alienis. Præfati ergo parentes ipsius votum fecerunt, ut eam ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum deducerent, imponentesque

ipsam vecturæ Deo supplicare cœperunt, ut ei dignaretur per Sanctæ Hedwigis merita subvenire. Cum autem ante civitatem Wratislaviensem venirent, puella integre in toto corpore est sanata, incepitque pedibus et manibus plene uti. Unde non modico exultantes gaudio parentes cum filia inchoatum iter ad Sanctæ Hedwigis limina compleverunt in Sancti Michaelis vigilia, laudesque Domino persolventes ac S. Hedwigis præconizantes gloriam sanctitatis ad propria sunt reversi.

[148] [et Bertradis de Cyrna.] Bertradis de Cyrna fluxum sanguinis sexdecim hebdomadibus patiebatur tam graviter, quod nulla medicorum ope, licet multa in eis expendisset, poterat adjuvari. Non ergo erat opinio quod evadere posset, quin de illa ægitudine moreretur. Vovit tamen Beatæ Hedwigis visitare sepulcrum, si ei sanitas donaretur et continuo est sanata. Sed quia de viri sui consilio votum emissum distulit adimplere, recidivavit celerius et cœpit gravius infirmari quam prius. Iteravit ergo votum et sollicite adimplevit sanitatemque obtinuit, Beatæ Hedwigis auxilio mediante.

[149] [convalescunt a squinantia Petrus Bohemus;] Petrus Bohemus de Scassicz, de familia ducis, morbum, qui squinancia dicitur, in suo gutture patiebatur, qui eum in tantum occupaverat, quod loqui non poterat per tres dies nec cibum nec poculum sumere neque commode potuit respirare. Cumque vovisset, nudis pedibus et in cilicio se venturum ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum, si eum curaret a morbo prædicto, voto emisso, se ad quiescendum deposuit et dormivit post somnumque evigilans se sensit omnino sanatum et gratias egit Deo Sanctæque Hedwigi, cujus intercessione sanitatem sibi credidit restitutam.

[150] [fistula Laurentius de Licovicz;] Laurentius de Licovicz, vir grandævus et canus, vulnus in pectore habuit infistulatum, de quo sanies profluebat et fœtor maximus

exhalabat, propter cujus fœtoris intolerantiam uxor eum odio habuit et ab eo recessit. Pedes insuper contractos habebat et ideo nec valuit ambulare, sed jacens continue hoc multiplici incommodo pulsabatur. Spem tamen habens in Domino, ipsius clementiam per Sanctæ Hedwigis merita invocabat et relevatus fuit in tantum, quod et de lecto surgebat et aliquantulum progredi poterat. Fecit ergo votum veniendi ad Sanctæ Hedwigis sepulcrum; duobusque sustentatus baculis, quia debilis adhuc erat, hinc inde nutando, a suo domicilio, quod per tria distabat milliaria, et infra quinque dies vix ad dictum pervenit sepulcrum feria sexta ante festum Beati Bartholomæi cum magno labore, ubi etiam sic oravit: "Sancta Hedwigis, libera me, quia ego volo esse, quamdiu vixero, servus tuus." Statim, qui languerat fere quindecim mensibus homo, in pedibus plene curatus est evasitque infistulatum et fœtidum pectoris vulnus, unoquoque die rediit in domum suam, gradiens super pedes suos per iter, quo quinque diebus venerat difficulter. Dominus Volimirus, Wladislaviensis episcopus, qui unus fuit de examineribus miraculorum, locum præfati vulneris miraculose curati per Sanctæ Hedwigis merita suis postmodum manibus attrectavit, perhibensque testimonium dixit, quod ipsum vulnus plene sanatum invenerit.

[141] [a struma, Stronizlava;] Stronislava in humero dextro habuit strumam ad unius panis magnitudinem, quæ tandem rupta fuit et sanies exinde profluxit, postmodumque exstitit infistulata. Eadem quoque mulier usum perdiderat dextræ manus et talibus obruta malis ante primum introitum Tartarorum in Poloniam sic oppressa permansit, donec fere sex anni post Beatæ Hedwigis obitum complerentur. Eo namque tempore ipsa fœmina ad Sanctæ jam dictæ sepulcrum accedens oravit cum lacrymis, dicens: "Domina mea Beata Hedwigis, redde meo sanitatem omnimodam corpori, ut de labore

ipsius valeam sustentari." Continuo sanata est mulier et liberata plenarie ab utroque, quo laboraverat, ægritudinis morbo. Aliqua tamen signa tumoris, omni remoto dolore, in loco strumæ, postquam curata fuerat, remanserunt.

[152] [a mortis periculo, Dominicus puer,] Dominicus, puer erat octo annorum filius Vitozlai, militis de Borech, quem equus ungula pedis ad tempus percussit tam valide, quod pro mortuo habitus fuit, ita diu quod aliquis peditando unum pertransire poterat Polonicum milliare. Tandem, resumptis viribus, ad vitam quidem corporis rediit, sed in capite receptum lætale vulnus permansit. Cui dum parentes et amici pulveres et unguenta, quæ poterant habere, apponerent, et tamen sanitatem nullatenus conferebant, quia caro quædam in ipso vulnere crescens ad unius longitudinem digiti obsistebat, ne posset vulnus obduci. Existente ergo puero in mortis periculo, recordatus pater ejus, qualiter prius fuerat per Beatæ Hedwigis auxilium liberatus ab alia lætali ægritudine (secundum quod supra ostenditur, ubi de infirmis curatis refertur, miraculo primo), in Trebnicz ivit ad Sanctæ Hedwigis limina, oraturus pro ejusdem pueri sanitate. Et ecce, in ipso triduo quo in eundo fecit moram pater, prædictus filius ejus, qui a festo Nativitatis Beatæ Virginis, recepto, ut prædicatur mortifero vulnere, languerat usque ad octavam Epiphaniæ Domini eodem anno sequentis sanatus est adeo plene, ut mater venienti marito cum gaudio currens obviam diceret: "Filius noster est per Dei gratiam bene sanus." Modicum autem signum in loco remanserat vulneris, Domino sic disponente propter patrati miraculi evidentiam clariorem.

[153] [Hysentrudis Wratislaviensis,] Hysendrudis, uxor Beroldi de Wratislavia, dum concepto fœtu gravida esset, elapsisque novem hebdomadibus et expleto tempore, quo conceptus in utero vivificari communiter solet, nec ipsa, ut

debebat naturaliter, moveri conceptum sentiret infantem, gravari mortisque sibi procul dubio imminentis cœpit periculum formidare. Nullum autem ei dabatur nec forte dari poterat efficacius pro corporis salute consilium, nisi ut Beatæ Hedwigis invocatura patrociniū ejus adiret sepulcrum, quod et fecit. Sed quia de jam dictæ Sanctæ meritis dubitavit nec sufficienter credula exstitit, gratiam sanitatis, quam desiderabat, merito non invenit. Nec poterat utique ad perfectam curationem pertingere, donec diffidentiaē tenebras ipsius inhærentes firmiter pectori, credulitatis luce contingit plenius effugari. Admonita ergo per fidelem virum, hospitem suum, in cujus se collegerat domo, ut cum omni fiducia Sanctam Hedwigim pro sua invocaret salute, si a tanto vellet celerius liberari periculo, iterato ad Sanctæ sepulcrum accessit abjectoque totius dubitationis offendiculo, ipsam devotis, ut eam adjuvare dignaretur, precibus invocavit. Mirabile certe, mox mente a dubietatis morbo sanata, salus corporea est secuta, nam postquam ad tumulum Sanctæ Hedwigis fuisset reversa et orasset ibidem, puer ejus in utero cœpit moveri, dum autem iterasset orationem, puer iterum amplius movebatur, tertio vero dum confidenter oravit, conceptum plene vivere sensit. Reversa autem ad domum propriam, tempore debito, cum salute peperit filiam, vocatam postmodum proprio nomine Margaretam, gratias agens Deo et Beatæ Hedwigi cujus auxilio a mortis faucibus extitit liberata.

[154] [et Bertha Wratislaviensis.] Puella quædam nomine Berchta, apud Wratislaviam hauriendo aquam, in Odram fluvium cecidit et sub rotas quatuor molendinorum sese invicem subsequens nimio aquæ impetu tracta fuit. Vir quidam hæc videns, consanguineam ejusdem puellæ proprio nomine vocando clamavit: "Berchta, Berchta, cognatam tuam flumen jam absorbit!" Quod dum illa audivit, de domo sua protinus exiliens exclamavit et dixit: "Domina, Sancta Hedwigis, rogo te, ne meam patiaris

perire consanguineam, sed de præsentî periculo libera eam." Has preces dum vociferando multoties iteraret, ad accurrendum ut viderent, quod acciderat, circiter centum homines provocabat. Multi quoque ex illis, qui ad spectaculum illud convenerant misericordem Dominum invocabant, ut per merita Sanctæ Hedwigis puellam in profundum mersam erueret, ne tam miserabili casu lapsa periret. Per quosdam nihilominus afferebantur instrumenta navesque ad extrahendum, si forte fuisset inventum corpus submersum in aquis, habentibus prope viginti cubitos profunditatis. O quam mirabilis Deus in suis est Sanctis, cujus utique mirabilia opera fidei animæ cognoscenda etiam in præsentibus relucescunt! Divina namque potentia præfata puella decem et octo annos habens ætatis, subvoluta rotis molendinorum, ut prædicatur, absque sui corporis et sine rotarum fractione pertransiit, cum tamen, sicut dixerunt experti, eadem rotæ modico ligno ipsis subjecto frangi faciliter potuissent. Præterea dum astantes expectarent, donec de aquarum profunditate mortua traheretur, quia ipsam vivere non putabant, quam fluminis abundantia tempore tam prolixo absconderat, subito ex altera parte fluvii, cunctis videntibus, in littore stans apparuit de vestibisque suis humores aquosos excussit. Sic per intercessionem Sanctæ Hedwigis puella evasit feria quinta post festum sancti Michaelis periculum mortis, quæ tanto temporis spatio fuerat obruta undis, quanto quis pergere poterat quintam partem Polonici miliaris. Ut autem factum hoc miraculosum evidentiori signo innotesceret omnibus, corpus puellæ prædictæ, quamvis esset alias bene sanum, in dorso tamen et pedibus livores, quos machinamenta rotarum ipsum comprimendo effecerant, intuentium oculis exhibebat.

[155] Nicolaus puer, filius cujusdam molendinarii, in festo Exaltationis Sanctæ Crucis in aquam, quæ super molendinum defluebat, corruens est submersus. Quod

dum mater ejusdem pueri comperisset, magnis clamoribus, [Suscitati mortui, Nicolaus puer,] de cordis dolore prodeuntibus, plures advenire coegit. Accurrens autem inter alios Waltherus de Praczo, illius dominus molendini, vidit jam dictum puerum, in alveo ligneo sub rota compressum jacentem, pedesque ipsius modicum prominentes de undis, sub quibus mersus jacebat, et quia, deficientibus instrumentis ad levandum maxime opportunis, rotam illam magnam, sub qua puer compressus erat, sublevare non poterant, ipsum tamen, ut quocumque modo possent eruerent, ad revolutionem ipsius rotæ aliquoties aquæ impetum submittebant. Cum nec sic proficerent, præsertim cum puer, inter rotam et alveum ligneum positus, non sineret volvi rotam, quamvis aquarum inundantia desuper flueret, allatis tandem securibus perticas amputaverunt, quibus rotæ machinam sublevabant, et extraxerunt puerum, utpote mortuum, glaucum, frigidum et rigidum inflexibilemque veluti lignum. Nec mirum si puer ille mortuus erat, qui mersus sub undis tamdiu jacuerat, donec quis ambulando potuisset milliare Lombardicum pertransisse. Et licet nulla spes vitæ haberetur de ipso, præfatus tamen Waltherus, de Beatæ Hedwigis confisus suffragio, eam sæpius invocando dicebat: "Beata Hedwigis, suscita puerum istum, quem si suscitaveris, tuum cum ipso pedibus meis adibo sepulcrum." Excussa quoque de corpore pueri, quantum excuti potuit, aqua, posuit ipsum ad ignem. Jacuit autem immobilis, ut procul dubio mortuus, a meridie usque ad solis occasum diei festi prædicti. Cum vero non desisterent fideles dominum invocare per Beatæ Hedwigis merita pro puero revocando ad vitam, eodem fere respirare incipiens, sequenti mane surrexit puer incolumis, nihil patiens omnino doloris, in dorso ipsius, ad instar panni nigri, ex compressione prædicta livore tantummodo remanente.

[156] [Gulielmus puer,] Wilhelmus puer, non plene duos annos habens ætatis, filius Vincentii castellani de Olesno, in villa quæ dicitur Othmant portatus ad fluvium Odram, eoque deposito et derelicto in riparia, pædagogus ipsius flumen ingressus est ad se refrigerandum pariter et natandum. Dum autem taliter occupatus faceret moram, puer, ipsum eo non vidente, sequi volens, prolapsus in flumineque est submersus. Quem pædagogus postmodum ad ripam rediens et, ubi eum reliquerat, non inveniens tandem quæsivit in undis, submersumque reperiens et extrahens eum excussit quantum potuit aquas ab ipso, quas mersus imbiberat. Reversus autem ad domum cum ipso puero, volebat factum a parentibus occultare, sed latere non poterat, cum puer, calefactus a matre, residuam evomeret aquam et subito moreretur. Cujus obitum parentes et familiæ deplorantes, Deum nihilominus per Beatæ Hedwigis merita invocabant, ut vita puero redderetur. Pater autem cum conjugē suā, nomine Berchta, matre pueri, dum fecisset votum, quod ad Beatæ Hedwigis sepulcrum ipsum, si revocaretur ad vitam, vellet deducere puerum, statim puer revixit. Differentes vero perficere, quod promiserant, in crastino iterum idem puer morti succubuit. Quod suæ imputantes, ut debebant, parentes negligentia, iteraverunt orationem et votum et denuo sunt exauditi a Domino, Beatæ Hedwigis interveniente suffragio, ad cujus sine cunctatione limina processerunt. Ab illo ergo die præfatus puerulus semper visus est proficere in corporis sospitate.

[157] Vitoslava infantula primo nata, priusquam baptismi perciperet sacramentum, mortem accepit. Accedens autem avia ipsius, [Vitoslava infantula,] domina Sulizlava et accipiens eam, matri, filiæ suæ scilicet, mortuam detulit. Convocata quoque familia vocibus clamorosis defleverunt omnes, non infantulam mortuam, sed potius absque sacramento baptismi defunctam, et pariter

oraverunt, ut Dominus per Sanctæ Hedwigis merita saltem tanto tempore dignaretur sibi vitam donare, donec præfatum reciperet sacramentum. Et ecce, petentium precibus subito Dominus affuit et puellæ quædam vitæ signa concessit, quæ tamen, quamvis adhuc plus mortui quam viventis præferret similitudinem, in capisterio est ad baptismum portata. Baptizata vero mox recuperavit plenius sanitatem.

[158] [Petruscha Wratislaviensis,] Petruscha, filia Martini de Wratislavia, quinque hebdomadas ætatis habens mortua fuit; nam Elzuna, mater ipsius, volens ad aliam pergere villam, quamdam rogavit fœminam, nomine Boguzlavam, ut sibi jam dictam custodiret infantulam, donec suis rediret negotiis expeditis. Intromisit se quidem matrona prædicta de custodia, sed misere custodivit; infantem namque relinquens in cunis, vicinam domum, ut ibi aliquid operis faceret, adiit, et interim porcus veniens cunas evertit et puerum, sub vestibus multis cadentem super faciem, suffocavit. Rediens tandem mater Boguzlavam interrogavit de puero, quem ei commiserat. At illa se de illo fuisse oblitam ratione occupationis, quam habuit, respondebat. Ingrediente vero matre domicilium, porcus exiliit fugiens et puer mortuus est inventus, cujus corpusculum utique jam frigidum diriguerat, quasi lignum. Deplangit mater defunctam filiolum doloremque ipsius duplicabat timor, quo non modicum metuebat a marito pro hac negligentia castigari. Superveniens autem jam dictus maritus deplangit et ipse lugubre funus, nec tantum doluit de extinctione filiæ suæ, quantum de peccato negligentiae fuit compunctus; timebat enim, quod sibi et uxori deberet facinus interemptionis pueri imputari. Rememorans vero publicam esse famam de miraculis Beatæ Hedwigis, conjugii dixit: "Invocemus fiducialiter Sanctam Dei, quæ in cœlis regnans hanc accepit a Domino potestatem, ut quod juste per ipsius merita petitur, consolabiliter impetretur." Et sic in partem

domus secretiorem euntes pariter oraverunt. Præfata quoque Boguslava, remanens apud funus, hæc dicens oravit: "Beata Hedwigis, rogo te per tua merita, libera me a peccato, quod incidi non custodiendo sufficienter puerum istum, et ego promitto, quod si revixerit mortuus, tuum peditando adibo sepulcrum." Oratione completa, parentes ad loculum, in quo puella ad sepeliendum collocata fuerat, accedentes invenerunt viventem, quam paulo ante reposuerant mortuam, et sugens ubera, resumptisque viribus successive convaleuit, quæ post reditum matris jacuerat exanimis tanto temporis spatio, quanto panis in clybano coqui posset Qua vero diei hora decesserit ignoratur, pro eo, quod nullus hominum tunc præsens fuit.

[159] [mulier e villa Lissocitz] In villa hospitalariorum, Lissocitz nuncupata, Olomucensis diœcesis, quædam mulier finem vivendi accepit. Quæ dum per diem mortua teneretur, pro delictis, a quibus se vivens non plene per satisfactionem purgaverat, pœnis addicta flammaram incendia sustinebat. Deus autem, secundum prophetam mirabilis in Sanctis suis, volens Beatæ Hedwigis admirabilem etiam in remotis manifestam fieri sanctitatem, sic disposuit, ut præfatæ mulieri defunctæ et in flammis existenti ipsa jam dicta Sancta visibiliter appareret et eam potenter ab incendio traheret ipsamque divina virtute pristinam revocaret ad vitam. Hæc fœmina prius in vita sua numquam audierat de Sanctæ præconio sanctitatis aut de ipsius miraculis, sed per ipsam de flammæ cruciatibus eruta et a mortuis ad statum pristinum revocata, per quatuor annos, quibus vixit post resurrectionem jam dictam, non cessavit eam extollere laudibus, sed enarravit omnibus, quibus poterat, quod factum fuerat circa ipsam, ostendensque multis quædam signa adustionis, quæ in ejus remanserant corpore, ad miraculum divinæque pietatis beneficium plenius comprobandum.

[160] [vir ex oppido Prussicz.] In oppido Prusicz, Wratizlaviensis diœcesis quidam mortuus fuit. Qui, dum sepeliri deberet in cœmeterio monasterii, in quo Sanctæ Hedwigis est corpus sepultum, postquam duobus jam jacuerat diebus exanimis, a mortuis resurrexit. Istius fama miraculi pervenit ad ducem, qui statim credere noluit, sed hominem resuscitatum coram se adduci præcepit, fecit quoque ad suam vocari præsentiam dominum villæ, in qua manens decesserat homo ille, qui dicebatur revocatus ad vitam, ut et ipse veniens, si quam de hoc facto sciret interrogatus diceret veritatem. Uterque autem comparens coram ipso duce, constanter asserebat et veram fuisse illius hominis mortem et resuscitationem jam dictam interventu Beatæ Hedwigis veraciter esse factam. De fœtu in utero matris vivificato miraculose supra require, de erutis a periculo mortis, secundo miraculo Ysendrudis et cetera.

[162] [velamen monialis in igne servatum.] Soror Juliana, de domo Trebnicensi, in nocte Circumcisionis Domini, decantato matutinali officio, ad fornacem calefactorii sororum se calefaciendi gratia venerat et ibidem insignia capitis sui, coronam scilicet et velamen projecit per negligentiam in foramen. Fornax quoque præfata tantis æstuabat caloribus, quod si quis incurate stabat ad ipsius fenestrulæ aperturam, calceamenta et vestes alias, quas attingere poterat, calor egrediens, consumebat. Turbata non modicum prolapsis in furnum jam dictis insigniis, quæ propter incendium recuperare non valuit, vocanteque campana conventum, quæ jam tunc pulsabatur pro Laudibus matutinis, soror abiens res quasi perditas dereliquit. Spem tamen habens de Beatæ Hedwigis patrocínio ad ejus tumulum pergens, velociter sic oravit: "Beata Hedwigis, quia te credo vere Sanctam et de tuis confido meritis, insignia mea mihi conserva." Festinans vero ad chorum non solum Laudibus sed etiam Missæ, Primæ et Capitulo interfuit successive. In jam dictis autem

corporaliter perseverans officiis, Dominum nihilominus et Beatæ Hedwigis invocabat auxilium, ut illæsæ sibi res cellulæ suæ servarentur. Finito autem ex more Capitulo, ad locum properat in quo supradicta reliquerat ornamenta. Sed quia præ calore nimio manum mittere ad quærendum non poterat, per fenestram acum curvatam, virgæ infixam, extendit deque foramine traxit illæsa a caumate et penitus inviolata insignia supradicta. Quæ postmodum examinatores sub suis sigillis transmiserunt Romanæ curiæ in testimonium veritatis hujus miraculi et sanctitatis Beatæ Hedwigis.

ANNOTATA.

Clypeus non solum pro instrumento belli defensivo sumitur, sed etiam pro imagine, quæ in eo depringebatur: quare clypeator, sicuti hoc loco, sumendus etiam est pro artifice, qui imagines effingit. Du Cange Voce Clypeus.

Hunc textum explicat Cl. Stenzel [Script., t. II, p. 79, n. 1.] , quasi ageretur de occidendo equo, adeoque hoc habet tamquam vestigium paganicæ superstitionis. Mihi videtur sermo esse de suicidio, quod verba præcedentia jam præsagiunt, quando dicitur Gotfridus tanto cruciatus dolore, quod magis mori appetiit, quam diutius tormenta tam vehementis affligi doloris.

Cap. IX.

De miraculis tempore canonizationis S. Hedwigis, de ejusdem canonizatione et de translatione ejus corporis.

[E Sanctæ sepulcro manant lux] Soror Elizabeth, custos domus Trebnicensis, nocte quadam ante matutinum de somno consurgens, lumen in dormitorio invenit extinctum,

quod ut reaccenderet, pro lumine ad ecclesiam ivit. Perveniens vero versus locum sepulturæ Sanctæ Hedwigis, totum vidit sepulcrum clarissima luce circumdatum et pusillanimitate fœminea pavefacta, ad dormitorium rediit et qualiter lucem magnam, utique designantem aliquid, viderit postmodum enarravit. Soror etiam Juliana, de domo Trebnicensi, simili modo lumine extincto in dormitorio, vadens ad ecclesiam pro lumine accendendo, non non solum lucem magnam circa Sanctæ Hedwigis tumbam, verum etiam quasi duos episcopos et duos abbates, omnes albis indutos, vidit astantes sepulcro, quorum significatio inferius declaratur.

[164] [et mira fragrantia:] In quodam anniversario defunctionis Beatæ Hedwigis, ad sepulcrum ejusdem Sanctæ quædam dominæ vigilabant orantes, inter quas Agnes, Christina, Margareta, Johanna, de monasterio Trebnicensi sorores, sacris intendebant excubiis, psalterium relegendo. Dum ergo pariter psallerent et orarent, odor suavissimus, sed extraneus, omnium se naribus ingerebat. Stupebant autem omnes de tanti ac tam inconsueti odoris fragrantia, amplius vero singulæ mirabantur pro eo, quod nullæ essent apud ipsas res odoriferæ, non tamen de hujusmodi aliqua alteri quidquam loqui volebat, ne strictum silentii vinculum solveretur. Odore autem non cessante, soror Agnes per signa requirebat ab aliis, si olfactu perciperent suavitatem odoris, quo ipsa jam dudum fuisset mirabiliter immutata. At illæ: "Sensimus, inquit, et sentimus." Lux ergo prædicta, noctis in obscuro refulgens et apparitio prælatorum odorisque suavitas in domo Domini circumfusa, signanter dabant intelligere, quod Sancta, ibidem sepulta, cujus vita luce bonorum operum inclaruerat mundo Christique bonus odor fuerat in omni loco, jam lumen videret in lumine et esset sicut odor balsami ante Deum. Indicabant etiam, jam tempus esse propinquum, quo in sancta Dei Ecclesia ipsa, de

prælatorum conniventia, Sanctorum foret Catalogo adscribenda.

[165] [incipit processus canonizationis;] Eodem namque anno dominus Volimirus, Wladislaviensis episcopus, et Frater Symon, prior provincialis Poloniæ Fratrum Prædicatorum, examinatores a Sede Apostolica deputati sunt, qui vitam et miracula Beatæ Hedwigis investigare et examinare cœperunt anno millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, septimo kalendarum novembris, depositiones et nomina testium totumque processum suum circa hoc sibi commissum negotium inscribentes et sigillis appositis transmittentes Summo Pontifici, significaverunt eidem, quod etiam alia multa signorum genera et curationes ægritudinum, quas a fide dignis, meritis Beatæ Hedwigis factas audierant, examinare nequiverant propter difficultatem testium advocandorum partibus de remotis. Unde a Summo Pontifice secunda eis facta fuit commissio super eodem negotio inquirendi; et tunc denuo ad examinationem procedentes invenerunt plura prioribus, quæ conscribentes, iterato Sedi Apostolicæ transmiserunt. Prima ergo supradicta examinatio facta est in loco capituli sororum Trebnicensium anno Domini memorato; secunda anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, V kalendarum martii in domo earumdem sororum; tertia anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, sextodecimo kalend. aprilis, ibidem in ecclesia Sancti Bartholomæi Apostoli; quarta eodem anno Wratislaviæ in domo Fratrum Prædicatorum septimo kalend. aprilis. In aliis etiam locis examinationes fecerunt de istius Sanctæ vita et miraculis prælati et inquisitores prædicti, ut a narrantibus didici, de quibus, forte causa brevitatis omissis, quia scriptum nil reperi, hic addere non curavi.

[166] [et interea puella morti proxima] Cum autem plures nuntii et procuratores solemnes, causa promovendi

Sanctæ Hedwigis canonizationem mitterentur ad curiam Domini Papæ, magister quoque Nicolaus, Cracoviensis scholasticus, propter hoc ipsum illuc ire disposuit. Videns vero filiam fratris sui tanto depressam languore, ut plus morti quam vitæ videretur proxima esse, præsertim cum jam posita in agone oculos compressisset, amicis dolentibus de transitu puellæ, compatiens dixit: "Beata Hedwigis, ego te Sanctam fore credo et ad promovendam tuæ canonizationis gloriam, propono curiam adire Romanam, ut ergo in agendis audacior fiam, fac mecum signum in bono, hanc fratris mei filiam ab ægritudine liberando." His dictis ad mensam accessit cum aliis, et ecce, priusquam prandium finiretur, venit quidam annuntians et dicens, ipsam puellam in tantum jam convaluisse de languore, quod matri suæ jucundo applausu alluderet, ipsiusque prius tristem animum lætis gestibus demulceret,

[167] [et cæca filia Clementis IV sanantur] Anno domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, die secunda exeunte Augusto, pontificatus Domini Urbani Papæ Quarti anno tertio, existente tunc in curia Romana magistro Salomone, archidiacono Cracoviensi, et Herengeberto, decano Wissegradensi, ac multis aliis honorabilibus personis, in procuratione canonizationis Sanctæ laborantibus, commissa fuit denuo per Summum Pontificem oretenus examinatio testium in curia existentium super vita et miraculis Beatæ Hedwigis; sed canonizatio ipsius extitit prorogata usque ad tempora Domini Clementis Papæ Quarti. Iste dominus Clemens, tunc universalis pater Ecclesiæ, quamvis idoneo multorum testimonio esset sufficienter instructus de prærogativa meritorum jam dictæ Beatæ Hedwigis, desiderabat tamen signum a Deo per ejus merita fieri, quod dum corporeis conspiceret oculis, ipsius etiam ipse testis existeret sanctitatis. Et quia olim sæculari militiæ deditus, de sua legitima habuit filiam, lumine oculorum

privatam, inter sacra Missarum solemnia quæ agebat, Dominum exoravit, ut per illius intercessionem, de cujus tunc agebatur canonizatione, si Sancta existeret, filiæ suæ cæcitatibus incommodum tolleretur eique lumen donaret. Affuit absque mora Pontifex æternus, sui annuendo Vicarii precibus, et natam ipsius claris decoravit luminibus sibi optatum tribuit visum, ut et ipse clarificaret Filium Dei in Sancta sua, celerius eam extollendo in Ecclesia, quam ex novi consideratione miraculi satis perpendere poterat jam esse translata ad cælestis patriæ claritatem. Veritate ergo comperta et cognita voluntate divina, summus antistes non distulit adimplere, quoddiu flagitaverant pia vota.

[168] [Viterbii canonizatur S. Hedwigis:] Congregata enim in Viterbio curia, vitam et miracula Sanctæ Hedwigis coram omnibus recitat et ejus merita publico sermone commendat, eamque Sanctorum solemniter adscripsit Catalogo anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, Idibus Octobris. Tunc verificata fuit et adimpleta illa, de qua paulo ante dictum est, visio sorori Julianæ ostensa de duobus episcopis, quia quod Dominus Urbanus Papa inchoavit committendo examinationis officium, hoc Dominus Clemens Papa feliciter consummavit, numero eam adscribendo Sanctorum pontificatus sui anno tertio. Duo autem abbates, qui similiter eidem sorori in visione apparuerant, rem perficiendam translationis tempore indicabant, ut in sequenti tractatu de translatione ipsius Sanctæ dicetur. Illam quoque canonizationis solemnitatem præclaram mirabiliter consolabilem reddidit potentia Creatoris, dies enim illa, in qua prædicta peragebantur solemnia, erat abstinentiæ nec carnibus in ea uti licebat, nec pisces pro tali festivitate competentes haberi poterant, quamvis undique per loca etiam adjacentia requisiti. Vallis enim quædam erat Viterbii, piscinam revera continens, qui non habebat nec umquam pisces habuerat, quæ tunc inventa est

magnorum numerositate piscium abundare. Quorum copia refectio*n*i fidelium a Domino præparata spiritualis gaudii jucunditatem non modicum cumulavit.

[169] [Sanctæ sepulcrum, præsentibus multis,] Nuntiis de curia reversis cum lætitia, præfata canonizatione Beatæ Hedwigis Viterbii, ut prædictum est, peracta, solemniter statim præconizata fuit festivitas translationis ejusdem Sanctæ, corpusque ipsius omni veneratione dignissimum translatum est anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo VIII XVI Kalend. mensis Septembris. Cujus tumba, quæ cæmento lapidibusque firmiter clausa erat, dum difficilime, ferreis etiam accedentibus instrumentis, fuisset aperta coram honorabilibus dominis Nicolao videlicet, abbate Lubensi et Mauritio, quondam Kamenecensi abbate, qui nobilibus ornamentis sacerdotalibus præparati per omnia, ut Missam celebraturi in die sole*m*ni, domino Conrado, Glogoviensi duce cum filiis suis sororeque Agnete, germana ducis ejusdem et aliis quibusdam personis præsentibus accesserunt cum devotione ac magna reverentia ad illas omni veneratione dignissimas de terra Reliquias sustollendas. Multi quidem advenerant et admitti poterant prælati venerabilesque viri, dum hæc agi debebant, sed exclusa multitudine, propter devitandum inquietudinis strepitum, præfati patres tantummodo, tamquam ad hoc opus electi a Domino, dispensative forsitan sunt assumpti, ut illud, quod sorori Julianæ de episcopis et abbatibus duobus, secundum quod prædicatur, ostensa docuerat visio, veraciter compleretur in facto et de ore ipsorum veluti duorum testium fide dignorum mirabilia, quæ tunc operari et ostendere dignabatur Salvatoris potentia, ad aliorum notitiam devenirent.

[170] [aperitur,] Nam ejecta humo de tumulo remotaque superiori tabula de sarcophago, in quo corpus sanctum

jacebat, odor tanti vigoris et tam suavissimus emanavit, ut omnium illic existentium mentes in admirationem commutaret et gaudium. Sacri quoque corporis ossa dum levarentur a terra, consumptis carnibus membrorumque compage soluta, tres digiti sinistræ manus ipsius inventi sunt totaliter integri, intra se clausam retinentes Beatæ Virginis imaginem parvulam, quam dum viveret secum frequenter portaverat et cum defuncta fuerat tumulata, quia moriens adeo eam inter juncturas prædictorum compresserat digitorum, quod abinde extrahi non poterat bono modo. Illo ergo, quæ superius recitantur miracula per hanc imaginem facta, tunc novum sumpserunt augmentum, dum Mater incorrupta imaginis suæ retinacula tanto tempore a corruptionis vitio preservavit intacta. Cerebrum quoque capitis ipsius, quod fere per viginti quinque annos sepultum in terra jacuerat, inventum fuit recentissimum divinaque virtute mirabiliter conservatum, cum tamen secundum traditionem quorundam primo medullæ et materia cerebri putrefiant. Præterea quidam liquor purus et clarus ad instar olei olivarum suavissimi mirandique odoris de ipso capite resudabat, qui sindones et pannos, quibus involvebatur ipsum caput, reddebat totaliter madidos, quasi de flumine tracti essent et ad desiccandum extorti.

[171] [et, confluyente ingenti populi multitudine,] Ad prædictam autem festivitatem de diversis mundi regionibus confluit populi multitudo quasi innumerabilis. Principes quoque et domini terrarum, prælati et rectores plurimi Ecclesiarum cum religiosarum multitudine personarum Ordinum diversorum sua solemnizaverunt præsentia festum illud, in quo fuit hæc translatio celebrata. Inclitus namque rex Bohemorum Odakarus dominusque Wlodislaus, Slesicæ dux, et Salzburgensis episcopus et fratres ipsius, duces Slesicæ, ejusdem Sanctæ nepotes ac plures Poloniæ duces, singuli cum suis nobilibus, secundum status sui dignitatem et sæculi, qua

pollebant, gloriam advenientes, multicoloribus mira-
tentorum varietate atque pulchritudine decorabant
camporum planities, in quibus faciebant in circuitu
Trebnicensis monasterii stationes. Insuper devotionis
affectum, quem ad Sanctam Dei habebant, unusquisque
donario speciali et oblationis munere ostendebat, et
exsolvebat omnis populus vota sua devotaque mente
offerebat quisque, quod promiserat, sive quod ei Dominus
inspiravit, ponebat de facultatibus suis ad Sanctæ
reverentiam et honorem. Quamvis autem præ
numerositate et ex innumera hominum illic
congregatorum multitudine nimium foret difficilis aditus,
certatim tamen, alter alterum antecedere cupiens et
prævenire desiderans ad salutandas deosculandasque
Sanctæ Reliquias, pressuram indicibilem et periculosam
plurimi sustinebant. Vox exultationis et salutis audiebatur
in templo, decantabant enim dulcisono melodia: Gloriam
in altissimis Deo, non solum viri et fœminæ sæculares ac
religiosæ personæ, sed etiam sonitus organorum laudes
Domini resonabant, quibus fidelium corda excitabantur
ad devotionem et ad lætitiâ spiritalem. Floribus
adornati stantes et die noctuque ardentes per plura loca
cerei decorabant continuo lumine domum Dei. Speciali
vero delectamento intuentium oculos demulcebat
quarundam ardentium candelarum artificiosus ascensus
et descensus, quæ quibusdam spaeris volubilibus in
sanctuario pendentibus adhærentes, sursum deorsumque
motæ, secundum aptationem opificis stellas in
firmamento erraticas simulabant. Et bene divina
ordinatione factum est, ut hujusmodi lumina ejus
decorarent solemnia, quæ dum viveret ex cœlestium
speculatione luminum crebro exurgebat, ut supra dicitur,
in admirationem et jubilum et accendebatur ad amorem
divinum.

[172] [Sanctæ corpus exaltatur.] Aura quoque atque cœli
dispositio quadam hilaritate illi jucundæ festivitati

alludere videbatur, tanta denique tunc erat serenitas et ventorum inclusio in thesauris Domini, ut præ multitudine homines hinc inde per nemora seu campestria etiam sub divo manentes aëris magna puritate gauderent. Nam et ea, quæ ad Dei laudem et Beatæ Hedwigis honorem accenderant lumina festivitatem illam, in qua sacrum ejus transferebatur corpus, seu solemnitas translationis ejusdem corporis agebatur, decorare volentes, nullo afflamine venti ardoris sui impedimenta senserunt. Is, qui teste scriptura: Concordiam facit in sublimibus, est hæc magnalia operatus. Cujus gratia non solum superiora verum etiam inferiora, hominum scilicet corda, ad tantam tunc fuerunt tranquillitatem disposita, ut in congregatione tam magna contingit frequentius, nec occisus nec vulneratus aliquis sit inventus, et dignum utique fuit et congruum, ut populus, qui ad celebrandum ejus festivitatem convenerat, quæ mortuos suscitabat, vulnera et languores curabat, ipsius intercedentibus meritis, cum salute et gaudio ad propria remearet. Quia vero ex vita et miraculis præcedentibus, ex auctoritateque Sedis Apostolicæ jam luce clarius innotuit et innotescit fidelibus, eam vere esse Sanctam et angelis sociatam, multi adhuc ad ejus basilicam properant, venerantes eam et orantes, ut ipsius adjuti suffragiis gratiam inveniant apud Deum. Ora quoque pro nobis supplicibus tuis, o Beata Hedwigis, ut Dominus Deus noster, qui te ad æternam transtulit gloriam, nos post præsentis vitæ miseriam ad societatem transferat Angelorum, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Explicit Legenda Major de Beata Hedwige.
Oratio auctoris utriusque Legendæ.*

Domina mea, Sancta Hedwigis, Dei omnipotentis tuæque sanctitatis me profiteor esse servum, quamvis proh dolor! inutilem et pro perceptis beneficiis gratiarum actionis utique debitorem. Ne ergo servitutis meæ

debitum exsolvere negligam, et sic pro culpa omissionis redarguar ut ingratus, ego pauper et modicus, collegio pauperum aggregatus, qui cum magnis magna exhibere non valeo, cum paupercula vidua, offerente in templo, in gloriae Dei tuæque laudis gazophylacium mitto hæc duo minuta, Majorem videlicet et Minorem vitæ tuæ atque Miraculorum tuorum Tractatum: devote et humiliter supplicans, ut ea, o digna et benigna domina mea, dignanter suscipias, meque cum illis omnibus, qui quocumque modo promoverunt aut legunt textum voluminis hujus et offerunt una mecum tuæ sanctitati hoc munus, Domino recommends et tuis precibus impetres nobis in præsentis Spiritus Sancti donum, securum de hoc sæculo exitum, æternæque vitæ gaudium et solamen per Christum Dominum Nostrum. Amen.

ANNOTATA.

Juxta Regulam S. Benedicti, quam et Cistercienses sequuntur, cap. XLII strictissimum silentium observandum est nocturnis horis [Holstein. Cod. Regul., t. I, p. 127. Edit. Brockie-Aug. Vind 1759.] .

Clemens IV, ante electionem Guido Grossus dictus, e vico S. Ægidii Gallia Narbonensis oriundus, militiæ sæculari et juri dicundo primum operam dedit, et duas filias suscepit, e nobili conjuge, qua mortua, sacris Ordinibus initiatus fuit [Ciacon. Vitæ Rom. Pontt., t. II, col. 166. Edit. Rom. 1677.] .

Num. 84 Commentarii prævii dedimus momenta, quibus suademur canonizationem Viterbii celebratam fuisse tempore Quadragesimæ, atque adeo biographum, dum indicat Idus Octobris, agere de solemnitate, jussu Pontificis per Silensiam celebrata.